De oraculis Sibyllinis a Judaeis compositis

Benno Wilhelm Badt

Sodali suo doctissimo Jos. Eschelb. auctor.

DE

ORACULIS SIBYLLINIS A IUDAEIS COMPOSITIS,

PARS I.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

VRATISLAVIENSI

UNA CUM THESIBUS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE IV. MENSIS MARTII MDCCCLXIX

IN AULA MINORE

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BENNO GUILELMUS BADT

POSNANIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

J. GUTTMANN, DR. PHIL.

B. MUELLER, CAND. PHIL., SEM. REG. PHILOL. SEN.

J. NATHER, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.

TYPIS HENRICI LINDNERI.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

M. HERTZ

PHILOSOPHIAE DOCTORI

ANTIQUARUN LITERARUM IN ACADEMIA PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,
SEMINARII REGII PHILOL. DIRECTORI

ET

H. GRAETZ

PHILOSOPHIAE DOCTORI

PRAECEPTORI IN SEMINARIO IUDAICO-THEOLOGICO
PATRI HISTORIAE IUDAICAE

MAGISTRIS DILECTISSIMIS.

HUNC LIBELLUM

SACRUM ESSE

VULT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Ad suscipiendum hoc opus, quod et quam difficile sit perfectu et quanto superius viribus facultatibusque ingenii mei non ignoro, auctoritate magistri mei dilectissimi Doctoris Graetz adductus sum, qui in seminario nostro iudaico-theologico, literas historicas tradens, prae ceteris discipulis ad me imprimis, quippe qui etiam literis operam navassem philologicis, munus hoc detulerat tam grave, quam difficile, eligendi e singulis, quae ad nos pervenerunt, oraculis sibyllinis ea, quae auctores prae se ferrent Judaeos. Quod equidem haudquaquam oblitus tenuitatis atque tarditatis ingenii mei cum iuvenili quadam temeritate subii, sed fretus diligentissimis accuratissimisque studiis virorum doctorum Frankelii[1]), Bleekii[2]), Friedliebii[3]), Alexandri[4]), Gfroereri[5]),

[1]) Monatsschrift für Geschichte und Wissenschaft d. Judenth. t. 8 anni 1859. Alexandrinische Messiashoffnungen p. 241—61; 285—308; 321—30; 359—64.

[2]) Annales theologici ed. Schleiermacher, de Wette, Lücke t. I, p. 120—246 et II, p. 172—239. Ueber die Entstehung und Zusammensetzung der uns in acht Büchern erhaltenen Sammlung Sibyllinischer Orakel.

[3]) De codd. Sibyll. mscriptis in usum criticum nondum adhibitis commentatio. Vratisl. 1847. — Oracula sibyllina ad fidem codd. mscr. quotquot exstant recensuit, praetextis prolegomenis illustravit, versione Germanica instruxit, annotationes criticas et rerum indicem adiecit Jos. Henr. Friedlieb. Lips. 1852.

[4]) Oracula Sibyllina vol. I, pars I, Paris 1841; vol. I, pars II, Paris 1853; vol. II, 1856.

[5]) Kritische Geschichte des Urchristenthums p. I, t. I, p. 121—173.

Ewaldi[1]), Lückii[2]), Hilgenfeldtii[3]), Volkmanni[4]), Graetzii[5]), quorum ex scriptis non solum egregios me percepturum fructus, sed etiam, quidquid ad defungendum hoc munere meo mihi opus foret, redundaturum mihi sperabam. Sed cum in perlegendis libris vv. dd., quantavis tenerer verecundia et doctrinae copiosioris et ingeniorum sublimiorum, tamen haud pauca invenissem, de quibus aliter mihi sentiendum putarem, in virorum doctorum lucem ea proferre sum ausus, etsi non plane abiecto timore, ne nimiae apparerem fiduciae animique audacioris, quam qui adulescentem, qui vix limina literarum vere attigisset, deceret. Quocunque autem modo res se habet, tamen non plane supervacaneam puto fore disputationem recentem de sibyllinis oraculis vere Judaeis, praesertim cum viris illis doctis latioris ambitus opus tractantibus non eandem in singulas partes operam impendere licuerit, quam collocare debet is, qui eas per se atque a ceteris segregatas tractaturus est. Sed dixerit fortasse quispiam, ad investigandam indagandamque pristinam conditionem librorum mirum in modum temporum procellis vexatorum perturbatorum dispersorum subsidiis criticis opus esse, quibus nova codicum manu scriptorum collatio, cetera eius generis, institui possint. At equidem et hoc opere supersedere me posse arbitratus sum post labores accuratissimos Friedliebii, Alexandri, Volkmanni, neque, cum componere hunc libellum incepi, aliud quidquam in animo habebam, quam ut secutus ea, quae

---

1) Ueber Entstehung, Inhalt und Werth der Sibyllinischen Bücher. Götting. 1858.

2) Einleitung in die Offenbarung Johannis. Bonn 1852, t. I, p. 66—89, p. 248—274.

3) Die jüdische Apokalyptik in ihrer geschichtlichen Entwicklung. Jena 1857, p. 51—90 et passim.

4) De oraculis sibyllinis dissertatio, Lips. 1853. — Specimen novae Sibyllinorum editionis Lips. 1854. — Lectiones Sibyllinae in programmate gymnasii Pyritzensis anni 1861.

5) Geschichte der Juden ed. II. Lips. 1863, t. 3 p. 285 sqq. et not II, p. 439 sqq., t. 4, p. 138 sqq.

viri illi docti invenerunt, opusculo brevi complecterer, quaecunque de libris sibyllinis a Judaeis compositis traderentur. Itaque, quia codicum manu scriptorum inspiciendorum copia non data erat, de singulis lectionibus nusquam fere, nisi de mendis quibusdam luce clarioribus, disputandum putavi: de aetate autem, natione, fide, ingenio poetarum quin dissererem, hac inopia deterreri non potui. — Hoc tamen persuasum mihi est, multo praestare in examinanda tradita forma pietatem ac religionem, quam nimium mutandi studium: ideoque, ubicunque potui, oracula, quae aetatem tulerunt, intelligere atque explicare malui, quam ex arbitratu ea reformare. Spero autem fore, ut verba eius, qui primus hos oraculorum libros confusos antea sic disposuisse videtur ut nunc habemus, se eos σποράδην εὑρισκομένους καὶ συγκεχυμένους εἰς μίαν συναφείαν καὶ ἁρμονίαν ἐκθέσθαι τοῦ λόγου voluisse [1]), — ut haec verba ad alias collectionis nostrae partes pertinere [2]), non pertinere ad alias, altera huius libelli particula comprobare possim.

[1]) Anonymus initio praefationis, quam falso olim M. Antimacho assignatam probavit Alexander a. l. et vol. II, exc. V. p 421 sqq.

[2]) Ex. gr. ad libros I, II, VIII.

Quibus potissimum ex notis oracula Judaea agnoscantur.

„Quomodo cantemus carmen Domini in terra aliena" [1]) tristi illa ac sane miserabili voce Judaeos in exilium migrantes abiecta omni salutis spe conquerentes audimus, quamquam eisdem verbis, quibus hunc dolorem expresserunt, id quod fieri posse unquam negabant, revera iam factum cum venustate quadam affirmare nobis videntur. Quod quin postea magis in dies probaretur, ne summa quidem tristitia, ne gravissimo quidem infortunio prohiberi unquam potuit. Quo enim magis adsuefiebant luctui de patria amissa, focis eversis, aris contaminatis, quo maiorem iungebant familiaritatem consuetudinemque cum eis, inter quos exulabant: eo magis dolor ille amissae patriae minui atque evanescere debebat, quamquam mederi nemo unquam vulneri illi poterat. Omnia igitur inde ab illis temporibus usque ad nostram aetatem carmina Judaea sonant maerorem quendam unius gentis illius proprium de civitatis suae eversione, spem quandam et ipsam ad solos Judaeos pertinentem, brevissimo adventurum liberatorem, servatorem, Messiam intimo ex animo exoptatum. Eae notae quasi singulis eorum operibus insignitae saepissime suppetunt ad agnoscendum et quasi oculis aspiciendum poetam Judaeum, etsi ipse summa interdum virium intentione personam suam celare nos studet, id quod maxime fit in libris, quibus pertractandis nos operam dedimus, sibyllinis a Judaeis compositis. Sunt enim libri duodecim, qui ab ecclesiae patribus saepe ad demonstranda

---

1) Psal. 137, 4.

ea, quae docent, adhibentur, ac plerumque tamquam sint vaticinia vatum gentilium, qui afflatu quodam divino iam ante Christi adventum verà sint assecuti. Sed accuratius in eam rem inquirenti cum multa a Christianis vel Semichristianis conficta, tum a Judaeis variis consiliis composita facile apparent.

Atque argumenta quidem omnium horum librorum maxima ex parte continent narrationes rerum gestarum, vaticiniorum veste indutas, partim vaticinia de templis, urbibus, insulis, gentibus, inter se commixta ita, ut saepe ea, quae praesagiuntur, cum rebus vel modo vel antiquitus gestis confundantur. Qua ex turba, quae a Judaeis ducunt originem ideoque vetustiora sunt ceteris plerisque, ut segregemus segregatorumque, ubi fieri possit, formam pristinam restituamus, nostrum est propositum. Qua in re imprimis ex eis, quae primo obtutu genus produnt Judaeum minimeque originis suae dubitationem admittunt, ea nobis erunt colligenda signa, quae quasi naturam horum carminum atque indolem constituunt, ut ad ea omnia referre et cum eis omnia comparare possimus, quae faciliorem dubitationis ansam praebent. Quam autem difficile sit distinctu inter ea, quae Judaea esse suspicatus sit aliquis, et nonnulla vere Christiana, ex re ipsa satis elucet cogitantibus, et quam exiguum olim fuerit discrimen inter teneram ac paene in cunis vagientem ecclesiam christianam — nam aetas ea novissimos libros Judaeos tulit — et Judaeam, et quam varia fata singulis temporibus haec carmina obierint quamque libere ac paene audacter et ei, qui vetustiora vaticinia in suum ipsorum usum vertere solebant, vates, et qui singulos libros dispersos collegerunt, cum illis egerint. Esse autem carmina quaedam a Judaeis condita in numero eorum, quae extant, iamdudum a plerisque viris doctis demonstratum est ita, ut haud facile quisquam nostrae aetatis id addubitaverit, quamquam non plane nobis persuaserunt Bleekius, Friedliebius, alii, partes quasdam eius, qui nobis est tertius, libri continere vaticinia veteris illius, quae vocabatur, Sibyllae Erythraeae, quam iam Alexandro Polyhistori, Varroni, Josepho, Theophilo,

Athenagorae notam fuisse et a Lactantio [1]) singulari quodam honore cultam scimus, cum Friedliebii maxime argumentatio, quae inde profecta est, quod loci **omnes** [2]) a veteribus testibus Sibyllae Erythraeae attributi in nostro libro tertio legantur, loco Eusebiano [3]) refellatur, ubi versibus 287 et 288 libri primi idem nomen imponitur.

Judaeorum tamen oracula, ut iam supra est commemoratum maximeque ex eo libro, de quo vix potest esse inter iudices disceptatio, colligi potest, omnia singulari quadam atque ipsorum propria natura facile agnoscuntur. Unum enim deum venerantes, non gentium solum paganarum contumeliis perstringunt variis idololatriam, sed ne christianorum quidem collegia — id quod in recentiora tempora cadit — eorumque religiones intacta relinquunt. Adeo enim iam tum diversae erant Judaeorum sententiae atque opiniones a Christianorum multis in rebus, ut etiam e nostris carminibus hic illic dissensio illa emergere posset, etsi utrique gentilium magis errores emendare, quam suas virtutes collaudare voluerunt. Ut igitur utrisque communes sunt acerbae vehementesque castigationes morum ethnicorum, suae gentis exaggeratae interdum laudationes, ita eo maxime inter sese differunt, quod Judaei sacra patria pristino honore colunt atque venerantur, quae cum Messia redivivo reditura sperant, Christiani finem sacrorum una cum templi sancti excidio factum esse putant inque locum eorum, quae in his oraculis vocari solet, ζῶσαν θυσίαν [4]) substitutam esse; Judaei ipsius templi memoriam, quod Messiana aetate renovatum iri ex-

---

1) De ira Dei c. 22: »Sibyllas multas fuisse . . . plurimi et maximi auctores tradiderunt. . . . Hi omnes praecipuam et nobilem praeter ceteras Erythraeam fuisse commemorant« — Vide tamen nostram de hac re sententiam infra proferendam.

2) Friedl. Prolegg. p. XXXVIII — A Bleekio rectius demonstratum est, Lactantium unum potissimum carmen — prooemium nempe a Theophilo servatum maioremque nostri libri tertii partem. Erythraeae assignasse cf. div. inst. 4, 6.

3) Orat. Const. ad Sanct. Coet. c. 18.

4) cf. l. VIII. v. 406; l. 4, v. 27—37.

pectabant[1]), maxima cum pietate et cum dolore quodam luctuque semper colunt, Christiani, id quod cum evangelistis commune habent, hoc templum nunquam restitutum iri profitentur. — Qua in opinionum dissensione maxima fieri non potuit, quin alteri alteros irriderent, reprehenderent, castigarent, nec miramur, cum Christiani alicuius iudicium legimus, Judaeorum gentem sua ipsius culpa atque pertinacia tot tantasque calamitates in se conflasse, neque cum Judaeum aliquem de Christianorum defectione conquerentem eisque poenas divinas praedicentem audimus, ut est in l. II, v. 261 ἠδ' ὁπόσοι μέγαν ἀθάνατον θεὸν ἐγκατάλειψαν[2]).

Sed omisso hoc quasi perpetuo inter eos discrimine unum utrisque commune tanquam fundamentum videtur esse, librorum sacrorum historiae, quas, ut illorum temporum Alexandrini homines fere plerique, aut allegorice, ut ita dicam, usurpant, aut in Graecorum notiones cogitandique rationes transferre vel ad eas conformare student. Sic v. gr. l. III. vv. 110 sqq. Noëmi filii Sem, Ham, Japhet simili, qua apud Graecos Saturnus, Titan, Japetus, vice funguntur nomenque ab iis mutuantur. Simili de causa solita illius potissimum aetatis consuetudine indagandi etymi verborum abusi esse videntur ad purgandum sermonem suum ab ethnicis Graecorum notionibus. Nam cum ᾅδης, hebraicum שְׁאוֹל, vulgo a voce Ἄιδης originem suam duceret, idoli autem nomen invisum unius Dei cultoribus minus placeret, Sibylla novum huius nominis fontem aperiendum censuit, minus falsa numina sapientem. Itaque Ἄιδην nomen suum ab A d a m o[3]) accepisse oportebat, qui primus eo descendisset, aeque ac Jovem homines Δία appellavissent, ὅτι οἱ διεπέμφθη[4]).

[1]) cf. praeter ceteros locos l. V, v. 407. 423 sqq., qui contra christianam doctrinam agere videntur. cf. infra.

[2]) Hoc a Christiano Judaeis obiici nunquam potuisse consentaneum est, eoque magis admirandum, quod viri docti Judaeam huius loci originem non agnoverunt.

[3]) l. I. v. 81.

[4]) l. III, v. 141. — Usitatissimi iucundissimique fuerunt cum omnibus temporibus antiquis, tum illis tales ludi nugaeque etymologicae, et

De consilio autem, quo haec carmina sibyllina condita fuerint, neque cum eis faciam, qui Judaeos id unum egisse contendunt, ut de suis religionibus caerimoniisque persuaderent gentibus, nec cum eis, qui sola fraudis cupiditate eos, vatum iam defunctorum personis simulatis, aequales suos decipere voluisse putant vaticiniis, quae e rerum eventibus atque e veterum memoria prompsissent: sed hoc magis placebit, eos animi causa, ut tum erant Judaei Alexandriae degentes eruditi graecis literis, cum domesticum carminum genus, ut ita dicam, propheticum apud ceteras quoque gentes in Sibyllae ore florens vidissent, istam divinandi formam tanquam ex more patrio retinuisse, nec tam, ut ad legenda carmina sua allicerent conciliarentque sibi gentiles, apud quos gens sua fidesque pro ludibrio fere ac pro inepta superstitione haberi soleret, quam ut a civibus sociisque suis artibus literisque excultis legerentur. Quam viam ut primum is, qui primum fuderat carmen sibyllinum, patefecit, quin etiam alii imitatores atque aemuli ingredi potuerint, vix quisquam dubitare possit, eoque magis miror, quod Bleekius, vir ille in ceteris sagacissimus, hac in re poetas fucum facere voluisse contendit. Nam ne eo quidem argumento, quod de Danielis libri componendi ratione affert, haec sententia fulcitur, immo subvertitur: tota enim huius libri paullulo tantum vetustioris, quam vetustissimum carmen sibyllinum, ratio docet, istam illa aetate formam orationis apud Judaeos in usu fuisse.

I. De carmine sibyllino vetustissimo.

a) Prooemium ex Theophili libro ad Autolycum II. c. 36, in Friedl. ed. ἀπόσπασμα α', v. 1—35; ed. Alex. prooemium v. 1—35.

---

cave ne Judaeos sermonis Graeci paullulum ignaros ineptiarum talium accuses, recordatus explicationum, quales sunt Πυθώ a voce πύθευ (putresce, Hymn. in Apoll. v. 372) Ac ne Romani quidem hac in re defuerunt cf. nomen »Vacunae« a vacando ductum (Hor. ep. 1, 10 c. adnot. Orellii).

b) trium versuum fragmentum a Lact. div. inst. II. c. 12 servatum, in Friedl.. ed. ἀπόσπασμα α′ v. 36—38, ed. Alexandr. ἀποσπασμάτιον II. p. 302.

c) trium versuum fragmentum a Theoph. II. c. 3 servatum in Friedl. editione ἀπόσπασμα II. p. 230 [1]), ed. Alexandr. prooemii vv. 36—38.

d) prooemii pars altera ab eodem Theophilo l. l. servata, in Friedl. ed. ἀπόσπασμα β′ v. 1—49; ed. Alex. prooemium vv. 39—87.

e) l. III. v. 97—828.

In tractando hoc a vv. dd., ut iam ex titulo satis elucet, undique conquisito carmine eam sequemur rationem, ut primum de auctore partium a) et d), quas ab uno compositas nemo negare potest ipso Theophilo eas Sibyllae Erythraeae ἐν ἀρχῇ τῆς προφητείας αὐτῆς attribuente, agamus, utrum Judaeus sit, an Christianus, tum de necessitate addendarum eis partium b) et c), postremo adeo omnes inter se nexas et iugatas probare studebimus, ut eis unum et perfectum efficiatur carmen. — Ac de exordii quidem partibus a) et d) inter nostrae aetatis viros doctos nulla esset disceptatio, omnibus Judaeam eius originem agnoscentibus eamque vetustissimam, nisi nuper Alexander auctorem ei tribuisset Christianum, florentem seculo post Christum demum altero diligentissimumque fautorem imitatoremque revelationis Joanneae. Quam sententiam ut examinemus, exposito totius exordii argumento, bipertitam de hac re instituemus quaestionem, primum de eis, quae communia huic exordio videntur esse cum revelatione Joannea, tum, quibus causis impeditus Alexander huic carmini auctorem Judaeum denegaverit, acturi: sublatis enim his impedimentis ceterorum, qui de hac re egerunt, sententiae ratae fixaeque erunt.

Ac fragmentum quidem primum a Theophilo servatum id unum agere videtur, ut vanos cultus falsorum deorum,

[1]) cf. tamen, quae v. d. in prolegg. p. XIII de artissimo huius fragmenti cum sequentibus nexu adnotat.

quippe qui, cum homines tantum fuerint, sortem mortalium omnium communem, Orcum, effugere non potuerint,[1]) vehementissimis acerbissimisque cum contumeliis castiget, Judaeamque veram unius Dei venerationem laudibus summis tollat gentibusque imitandam commendet. — Ut in hoc fragmento unius Dei potissimum laudes, ita in altera huius exordii parte ab eodem Theophilo eodem loco servata falsorum numinum vanitas fuse exponitur. Hominibus, qui ea fuerint secuti, supremo, quod mox adventurum sit, iudicio graves subeundas fore poenas; qui autem verum Deum vera cum pietate ac reverentia coluerint, eos vita fruituros esse aeterna in paradiso ac dulcissimo pane caelesti i. e. Manna. Haec est summa argumenti duorum quae a Theophilo dilacerata sunt, inter se arte sensu conexorum fragmentorum, tamen non ita dilaceratorum, quin aliunde resarciri posse videantur. Jure enim Friedliebius, iam antea suadentibus Bleekio et Gfroerero, fini fragmenti a) affixit tres illos versus e Lactantio promptos, quos lit. b) notavimus. Quos huc pertinere iam olim animadvertisse videtur is, qui primus exordium hoc Theophileum, cum ab omnibus codd. mss. et ab ed. Pr. abesset, in hanc collectionen sibyllinam intulit, Sebastianum dico Castalionem[2]), qui in editione sua graeco-latina (Bas. 1555), postquam admonito prius lectore, unde desumpisset, exordium conclusit, nullo novo titulo, sed additis tantum ad marginem his verbis:

[1]) Non necessario est adstipulandum Gfroerero l. l. p. 125, poetam 22. versu de daemonibus tanquam numinibus malignis et nocentibus cogitasse, ubi per εἰρωνείαν poeta stultitiam hominum perstringit daemones tales honoribus divinis persequentium, qui in Orco esse debeant i. e. daemones mortales.

v. 20: Ὅττι θεὸν προλιπόντες ἀληθινὸν ἀέναόν τε.

v. 22: Δαίμοσι τὰς θυσίας ἐποιήσατε τοῖσιν ἐν Ἅιδῃ.

cf. l. VIII, v. 392 et 93.

Ταῦτα γὰρ εἰς μνήμην βασιλήων ἠδὲ τυράννων
Δαίμοσι ποιήσουσι νεκροῖς, ὡς οὐρανίοισι.

[2]) cf. Alexand. I. admonitio ad lectorem p. XXXVI; Friedl. notae p. XVII.

„Hactenus ex Theophilo. Jam sequitur aliud brevius principium quod in his libris habebatur" septem versuum carmen, et ipsum in codd. mss. nusquam inventum adiecit. Quorum versuum cum IV. priores in fragmentis Theophileis leguntur, tum trium ulteriorum medius etiam in ea parte nostri libri tertii [1]) invenitur, quae mera huius exordii retractatio omnibus fere viris doctis videtur. Accedit ad hoc, quod etiam sensus, etsi omissis his tribus versibus non plane claudicans et abruptus, additis eis apte clauditur et absolvitur. Anteierant enim vv. 32—35.

Εἷς θεός ἐστι βροχάς, ἀνέμους, σεισμοὺς ἐπιπέμπων,
Καὶ νιφετοὺς, κρύσταλλα. Τί δὴ καθ' ἓν ἐξαγορεύω;
Οὐρανοῦ ἡγεῖται, γαίης κρατεῖ, αὐτὸς ὑπάρχει (vel ut Alex. e Schwartzii coniect. corr. ἄϊδος ἄρχει [2])

quam sententiam convenienter explent atque concludunt hi versus:

Ὅς μόνος ἐστὶ θεὸς, κτίστης ἀκράτητος ὑπάρχων,
Αὐτὸς δ' ἐστήριξε τύπον μορφῆς μερόπων τε [3]),
Αὐτὸς ἔμιξε φύσιν πάντων γενετῆς βιότοιο.

Eodem modo, quo hos versus aptam fragmenti primi clausulam efficere cognovimus, facilior ad alterum illud fragmentum, a nobis litera d) notatum, fit transitus aliis tribus versibus, ab eodem Theophilo (II. c. 3) servatis, quos hanc ob causam recte Alexander in fronte fragmenti illius reposuit [4]). Conatur enim poeta his versibus conclusione fere philosophica demonstrare, fieri non posse, ut dei gignantur simul et immortales maneant, his quidem verbis:

1) l. 3. v. 27.

2) Fortasse quoque αἰὲν ὑπάρχει. Quomodo hodierna lectio oriri potuerit, ex versus, quem secutum esse cum Friedliebio contendimus, clausula ἀκράτητος ὑπάρχων facile colligi potest.

3) Nescio an expeditior fiat sensus huius versus virgula inter μορφῆς et μερόπων interposita, deletaque ea, quae nunc in fine versus legitur, ut μερόπων genetivus ad πάντων referatur. Pro αὐτὸς δ' ἐστήριξε in medio horum versuum equidem αὐτός τ' ἐστήριξε legi maluerim.

4) prooem. v. 36—38.

Εἰ δὲ θεοὶ γεννῶσι καὶ ἀθάνατοί γε μένουσι,
Πλείονες ἀνθρώπων γεγενημένοι οἱ θεοὶ ἦσαν,
Οὐδὲ τόπος στῆναι θνητοῖς οὐκ ἄν ποθ' ὑπῆρξεν,

simili fere modo, quo initio sequentis fragmenti, probat, Deos non solum non gignere, sed ne gigni quidem posse, siquidem immortalitatis participes sint. Recte igitur atque uno fere tenore pergit oratio, tribus illis versibus tanquam fundamento nixa:

v. 39 sqq. Εἰ δὲ γενητὸν ὅλως καὶ φθείρεται, οὐ δύνατ' ἀνδρὸς
Ἐκ μηρῶν μήτρας τε θεὸς τετυπωμένος εἶναι κτλ.

Cohaerere igitur et partem a) cum b), et c) cum d) consentaneum est.

Sed de argumento haec; restat, ut quid de auctore vv. dd. senserint et quid nobis videatur paucis addamus. Quem quidem in Aegypto floruisse, cum satis superque ex toto orationis tenore, praecipue deorum Aegyptiorum ratione habita in perstringendis gentium erroribus, eluceat, inter omnes constat. Neque vero, ut commemoravimus, idem inter viros doctos consensus de fide eius atque religionibus extitit. Alexander enim his potissimum ex notis christianum deprehendere sibi videtur, primum, quod eis, quae in vv. 5 et 6 leguntur:

Παντοτρόφον κτίστην, ὅστις γλυκὺ πνεῦμ' ἐν ἅπασι
Κάτθετο, χἠγητῆρα βροτῶν πάντων ἐποίησεν,

„palam [1]) Spiritum Sanctum per omnia meantem et a Deo dominum omnium mortalium institutum" indicari putat. At iam Gfroerer [2]) sensui poetae satisfecisse se censuit spreta illa cum Joanne evangelista comparatione, cum adnotavit etiam Judaeis Alexandrinis divinam quandam ἀπόῤῥοιαν, fontem vitae lucisque nomine Πνεῦμα, Λόγος, Σοφία innotuisse, etsi nos ne hoc quidem ad explicandum hunc locum neces-

1) adnot. ad h. l., et vol. II, p. 329.
2) l. l. II, p. 124.

sarium esse putamus. Quid, si in eisdem versibus a Lactantio[1]) citatis pro βροτῶν legitur θεῶν? Nonne fraudatoris cuiusdam, christianae doctrinae faventis, manum pro βροτῶν in eo, quem Lanctantius adhibuit, codice θεῶν supposuisse recte suspicemur? Quid si eandem sententiam infra[2]) ubi iterum de Deo mundi creatore agitur, legimus:

Ἡμῖν τε κτήνη ὑπέταξε πάντα βροτοῖσιν.
Πάντων θ' ἡγητῆρα κατέστησεν θεότευκτον[3]),

quo in loco de nullo nisi de homine, omnium rerum domino, agi omnes fere concedunt[4]), nonne etiam vocem βροτῶν versus sexti ex βροτὸν sincera lectione depravatam esse dicemus ita, ut sententia sit simplex ac minus intricata magisque ad clarum ac perspicuum totius huius carminis argumentum accedat: „Qui dulcem spiritum omnibus inflavit, et ducem omnium mortalem (i. e. hominem) instituit[5]). Tum vv. 25—30:

---

[1]) Div. inst. IV, 6.

[2]) Friedl. ἀπόσπασμα β' v. 12 seq.; Alex. v. 50 sqq.

[3]) De notione huius vocis cf. l. V, v. 149, al.

[4]) Praeter Opsopoeum, qui supra v. 16 pro ἐτύχθη legerat ἐτέχθη ideoque hunc versum ad Λόγον refert. — vide Alex. ad h. l.

[5]) Aliam quoque mutationem nescio an eidem manui debeamus supra in v. 18, ubi nunc legitur: Πᾶσι βροτοῖσιν ἐνὼν τὸ κριτήριον ἐν φαῒ κοινῷ. Quo in versu praeterquam quod ipse articulus τὸ ad substantivum praedicativum adpositus corruptelam indicat, haud facile Deum ipsum, de quo versu antecedente agebatur, inesse in omnibus mortalibus tanquam facultatem dignoscendi bona malaque quisquam contenderit. Praeterea, omissis his difficultatibus, quid sibi velit illud ἐν φαῒ κοινῷ frustra ex interpretibus quaerimus. Castalio: »Humanosque regit communi in lumine sensus«. Friedlieb: »Der in den Sterblichen wohnt, ein Zeichen gemeinsamen Lichtes«. Nobis quidem τὸ κριτήριον obiecti locum obtinere videtur verbi cuiusdam, quod a librario neglegenti in ἐνὼν mutatum sit, eius fere sensus, qualem coniecit editor Paris. 1742 (vid. Alex. a. l.) νέμων, etsi hoc verbum ipsum minus placet frustraque aliud excogitare studuimus: κριτήριον autem non videtur esse facultas »dignoscendi bona malaque«, quam huius vocis vim in antiquis scriptoribus cave frustra quaeras, sed tribunal (cf. Plato legg. p. 767 B; Polyb. 9, 33, 12; Passow l. v.), quod Deus quondam instituturus sit ἐν φαῒ κοινῷ media communique

Παύσασθε, μάταιοι,
Ῥεμβόμενοι σκοτίῃ καὶ ἀφεγγεῖ νυκτὶ μελαίνῃ
Καὶ λίπετε σκοτίην νυκτός, φωτὸς δὲ λάβεσθε.
Οὗτος ἰδοὺ πάντεσσι σαφής, ἀπλάνητος ὑπάρχει.
Ἔλθετε. μὴ σκοτίην δὲ διώκετε καὶ γνόφον αἰεί·
Ἠελίου γλυκυδερκὲς ἰδοὺ φάος ἔξοχα λάμπει·

nisi a poeta doctrinae christianae dedito cani non potuisse videntur Alexandro, cum novam gentibus lucem affulsisse nisi post Cristi adventum nunquam dici potuerit. Sed novae lucis mentio in nullo horum versuum mihi quidem affulget, ubi nihil aliud legam quam admonitionem, relinquant gentiles superstitionis suae tenebras et ad lucem sese convertant, quae omnibus pariter clara atque ab omni errore tuens fulgeat.

Deinde Christiani esse censet Alexander vv. 81—87, ubi Deum aspernantibus poenae aeternae, praemia colentibus promittuntur his quidem verbis:

Τοὔνεκεν αἰθομένοιο πυρὸς σέλας ἔρχετ' ἐφ' ὑμᾶς
Λαμπάσι καυθήσεσθε δι' αἰῶνος τὸ πᾶν ἦμαρ
Ψεύδεσιν αἰσχυνθέντες ἐπ' εἰδώλοισιν ἀχρήστοις·
Οἳ δὲ θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν ἀέναόν τε
Ζωὴν κληρονομοῦσι, τὸν αἰῶνος χρόνον αὐτοὶ
Οἰκοῦντες Παράδεισον ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον
Δαινύμενοι γλυκὺν ἄρτον ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος,

quod Judaeis non ita usitatae fuerint opiniones de suppliciorum post mortem aeternitate, de igni in Gehenna flagrante,

in luce. Ita enim etiam in versu proximo recte de hoc tribunali procedit oratio: v. 19: Τῆς κακοβουλοσύνης δὲ τὸν ἄξιον ἕξετε μισθόν. — Simili modo etiam in l. III, 494, quem ab eodem poeta compositum infra videbimus, Poenorum urbibus minatur vates, nullam esse remansuram ἐν φαῖ κοινῷ »communi in luce«, omnes esse perituras. Tertio redit formula ἐν φαῖ κοινῷ, quamquam ibi suspecta 1, 348, ubi si vera lectio est — duo enim codd. ea carent — idem fere significat: Per Christum homines agnoscent Deum rectamque viam ἐν φαῖ κοινῷ »communi in luce« positam; manifeste hic locus ad Nostri exemplar confictus: quantum enim sciam, formula ἐν φαῖ κοινῷ in his oraculis quidem non amplius redit.

de felici in Paradiso beatorum vita, de mannae esca, quae omnia saepius expressa sint in novo testamento[1]. At, quamquam Friedliebius ea ex vetere testamento audacius putat esse desumpta[2], tamen ut de ceteris reticeamus, unum liceat locum Thalmudicum afferre, qui documento sit, istas opiniones pari modo apud Judaeos quo apud Christianos auctoritatem habuisse. Legimus enim Rosch-Haschana f. 17 a:

„Ei ex Israelitis gentibusve, qui corporibus tantum peccaverunt, descendunt in geennam ibique supplicium patiuntur per duodecim menses: post XII menses corpora eorum pereunt, anima crematur, ventusque spargit eos sub plantas pedum justorum, ut est in libris sacris: subigetis nefarios, nam erunt sub plantis pedum vestrorum: Minaei autem, delatores, Epicurei, qui reviviscere posse mortuos negant quique a communi societatis vita abstinuerunt, qui motus seditionesque in terra vitae (i. e. Palaestina) excitarunt, qui peccaverunt vulgus ad peccandum allicientes, ut Jerobeam filius Nebat sociique eius, descendunt in geennam suppliciumque subeunt in tempus aeternum: geenna perit non pereunt ipsi."

Satis hoc uno exemplo — quamquam permulta in promtu sunt — demonstrasse nobis videmur, etiam veteribus Judaeis innotuisse opinionem de suppliciorum aeternitate per ignem in geenna subeundorum eis, qui non corporibus solum, sed etiam mentibus animisque peccavissent. Neque vero iure Alexander Pharisaeorum, quasi sectae partisque exiguae cuiusdam, sententias ad Alexandrinos non permanasse ideoque ad horum doctrinam divinam adumbrandam adhiberi non posse contendit, cum Pharisaeos non sectam, sed maximam populi partem fuisse constet, ut a Graetzio[3] satis dilucide expositum est.

Neque vero homines pios castosque beatam in Paradiso vitam post mortem acturos mannaque caelesti esse fruitu-

---

[1] cf. Luc. 23, 43; Paul. ad. Corinth. II, 12, 4: Jo. Apocal. 2, 7.
[2] l. l. prolegg. p. XIV.
[3] Graetz, Gesch. d. Jud. III. p. 73; ibid. not. X.

ros veterum Judaeorum quisquam praeter Saducaeos infitiari ausus est, quod allatis multis exemplis Thalmudicis probavissemus, nisi lectorem benevolum in re satis nota fusiore locorum singulorum enarratione defatigare veremur. Superflue igitur ab Alexandro lector ad Joannis revelationem revocatur, quippe quae ipsa ab eodem fonte primario deduci debeat.

Ac Christianorum quidem proprii nihil in hoc exordio inesse satis probatum censemus: nunc ad alteram quaestionis nostrae partem progrediamur, qua ostendatur, ea, quae hoc carmine continentur Judaeis Christianisque communia, a Christiano dici non potuisse. Qua in re quod a Bleekio [1]) profertur idoneum pro Judaeo auctore argumentum:

v. 11. Ὀφθαλμοῖσιν ἰδεῖν Θεὸν ἄμβροτον
et v. 20 sqq. Ὅττι θεὸν προλιπόντες ἀληθινὸν ἀέναόν τε
Δοξάζειν, αὐτῷ τε θύειν ἱερὰς ἑκατόμβας

ancipiti Marte impugnat Alexander versu sequente

Δαίμοσι τὰς θυσίας ἐποιήσατε τοῖσιν ἐν ᾅδῃ,

monens, poetam hic non omnino sacra commendare, sed, siquidem sacris opus esset, ea melius uni Deo fieri debuisse. Ancipiti dico Marte, nam ne id quidem, opinor, Christianus dicturus fuisset, nisi adiecta vera de sacris faciendis opinione, qualem legimus in l. VIII v. 390—394, ubi eadem res a Christiano omnino alium in modum vertitur [2]).

Talia permulta in hoc carmine dicta sunt, quae auctor, nisi veteri astrictus fuisset fidei, nullo modo proferre potuisset, non

---

[1]) l. l. p. 161.

[1]) Οὐ χρήζω θυσίης, οὐ σπονδῆς ὑμετέρηφιν
Οὐ κνίσσης μιαρῆς, οὐχ αἵματος ἐχθιστοῖο·
Ταῦτα γὰρ εἰς μνήμην βασιλήων ἠδὲ τυράννων
Δαίμοσι ποιήσουσι νεκροῖς, ὡς οὐρανίοισι κτλ.
cf. ib. 403 seq. Τούτῳ θὲς καθαρὰν καὶ ἀναίμακτόν σου τράπεζαν (sic versu claudicante).
Πληρώσας ἀγαθῶν, καὶ δὸς πεινῶντι τόν ἄρτον
Καὶ διψῶντι ποτόν, καὶ εἵματα σώματι γυμνῷ κτλ usque ad
v. 406 Καὶ ζῶσαν θυσίαν ταύτην τῷ ζῶντι πόριζε.

indicata novae suae doctrinae de eis rebus opinione, ut in eis versibus, quos supra praeter Friedliebium a plerisque viris doctis inde ab Opsopoeo in exordium nostrum insertos commemoravimus:

Εἰ δὲ θεοὶ γεννῶσι καὶ ἀθάνατοί γε μένουσι κτλ

et versus exordii 39 sqq. (Friedl. fragm. II, v. I sqq.):

Εἰ δὲ γενητὸν ὅλως[1]) καὶ φθείρεται, οὐ δύνατ' ἀνδρὸς
'Ἐκ μηρῶν μήτρας τε θεὸς τετυπωμένος εἶναι

quamquam opinionibus christianis non resistunt, tamen a Christiano haud facile prolati fuissent, reticendi potius, quippe gentilibus ansam contra ipsum poetam daturi. — Jam in v. 9:

Αὐτὸς δ'οὐ βλέπεται θνητῆς ὑπὸ σαρκὸς ἁπάσης

Christianus certe auctor nonnulla de Christi parusia eiusque cum mortalibus consuetudine additurus fuisset. Similia observari possunt in attributis ἀγένητος (v. 7.), ἀόρατος (v. 18), cett.

Sed haec de exordio ipso satis: restat, ut videamus, quo nexu cum nostri libri tertii partibus vetustioribus olim cohaeserit. Nam cum his omnibus loco mota sit Alexandri sententia, ex qua hoc exordium a partibus novae religionis profectum seculo p. Chr. fere altero ac cum fraude insertum est libro tertio, quocum hoc exordium coniunctum fuisse ne Alexander quidem negare potest; reliquorum virorum doctorum paene omnium stat firmataque manet sententia, uno tenore olim hoc exordium cum libri tertii partibus quibusdam — quibusnam nunc querere omittamus — prodiisse. Causae praecipue duce Bleekio[2]) hae additae sunt:

I. Lactantium, qui haec confessus esset:[3]) „Et sunt singularum singuli libri: qui quia Sibyllae nomine in-

[1]) Fortasse ὁμῶς legendum.
[2]) l. l. p. 164.
[3]) div. inst. 1, 6.

scribuntur, unius esse creduntur: suntque confusi, nec discerni ac suum cuique assignari potest, nisi Erythraeae, quae et nomen suum carmini verum inseruit et Erythraeam se nominatum iri praelocuta est," — Erythraeae nomine nisi versus prooemii nostri librique tertii nullos afferre, ceteros, quos afferret, locos sibyllinos aliis Sibyllis attribuere,

II. eiusdem testimonium [1]), „Sibyllam Erythraeam" versus 5 et 6 exordii „in carminis sui principio, quod a summo deo exorsa" esset cantasse, cum „in fine eiusdem carminis" libri III, v. 774, lectus esset ab eodem Lactantio.

III. Theophilum, apud quem exordium nostrum fere totum extaret, haec ab ea dicta esse ἐν ἀρχῇ τῆς προφητείας αὐτῆς notare, quam ἀρχὴν neque l. I neque l. II secutus esse videretur, cum neuter ab ullo scriptore IV priorum post Christum seculorum laudaretur.

Sed hoc argumentum invitus, opinor, Friedliebius [2]) refutavit, libri primi testem Eusebium (or. Const. ad Coet. Sanct. c. 18) proferens.

Progredi nunc liceat ad alteram veteris illius vaticinii partem, ad quam neque septem primos versus nostri libri tertii pertinere posse, quippe qui solitam modo tritamque formulam contineant, affixam, ut apte ad sequentia oratio traducatur, ab eo, qui libros I et II in nostram collectionem intulerit, neque versus 8—92, quibus eadem fere, quae vetere illo vaticinio continentur, modo tantum leniore atque mitiore aetate recentiore retractari infra ostendemus, inter omnes fere constat. Sed, qui sequuntur, versus eis, quas mox addemus, de causis cum aetatem produnt omnium, quae ad nos pervenerunt, oraculorum vetustissimam, tum, si de patria poetae quaeritur, eandem indicant originem Aegyptiacam, quam exordii Theophilei esse cognovimus. Quemadmodum enim in illo de Aegyptiorum maxime mori-

---

1) ibid. 4, 6.

2) Prolegg. p. XXII.

bus religionibusque agitur, ita in hoc libro Aegyptiacorum maxime regum ratio habetur in describendis definiendisque singulis temporibus. Priusquam autem ad argumentum huius partis exponendum aggrediamur, nonnulla praefari liceat, quibus dubitationes quaedam de eius integritate si minus tolli, át debilitari certe posse videntur. Incipit enim Sibylla universi terrarum orbis fata cantura a turris Babelicae eversione, et librorum sacrorum et ceterarum gentium narrationes in suum vertens usum, ut ostendat, quemadmodum hominum genus in partes varias atque inter se infestas distractum sit, eo, ut opinor, consilio, ut festinanter singularum gentium, quarum sua quaeque aetate ceteris praepolluerit orbemque sibi notum in ditionem suam redegerit, rebus enarratis ad beatam illam aetatem depingendam perveniat, qua populus verum unumque Deum colens aeternum totius orbis imperium adepturus esse putabatur. Haec fortasse fuit causa, cur auctor non, ut in libro I, alium finem spectante, factum videmus, ad antiquiores aetates in libris sacris descriptas regressus sit, sed Babelicae demum turris eversionem ad inchoandam enarrationem suam adhibuerit. Aetatem enim illam, id quod iam ex nomine a priscis Judaeis ei indito דּוֹר הַפְּלָגָה i. e. „aetas dissensionis, dispersionis“ elucet, primam bellum molitam esse, opinio illis temporibus maxime divulgata erat. Praeterea studio illi poetae Hebraeorum narratiunculas ad Graecorum traditiones conformandi nihil melius inservire potuit, quam Titanum caelum petentium cum eis, qui turrim illam aedificasse dicuntur, similitudo tanta, ut interdum idem fere de utrisque traderetur[1]). Haec consideranti haud facile opinor mirum videbitur, Nostrum in exponendis generis humani rebus a turris

---

1) Thalm. Babyl. Synhedr. f. 109 a: נִבְנֶה מִגְדָּל וְנַעֲלֶה לָרָקִיעַ וְנַכֶּה אוֹתוֹ בְּקַרְדוּמוֹת „Aedificemus turrim, ascendamus in caelum, feriamus eum securibus.« — Midr. Ber. rabb. c. 38 בֹּאוּ וְנַעֲשֶׂה לָנוּ מִגְדָּל וְנַעֲשֶׂה עֲבוֹדָה זָרָה בְּרֹאשׁוֹ וְנִתֵּן חֶרֶב בְּיָדָהּ וּתְהֵא נִרְאָה כְּאִלּוּ עוֹשָׂה עִמּוֹ מִלְחָמָה. „Ecce, exstruamus turrim, fingamus simulacrum externum summa in ea, atque in manu eius ensem collocemus, ut bellum illi inferre videatur.“ — In libris sacris de eiusmodi hominum illorum consilio nihil legimus.

Babelicae eversione initium fecisse. Sed hoc fortasse quempiam iure aliquo offendat, quod oratio ipsa versiculo quodam ad transitum magis, quam ad principium apto [1]) incipitur. Caveat tamen is obliviscatur, sibi hic rem esse cum eius generis vatibus, quos iam antiquitus sermone suo quasi non e sua ipsorum voluntate pendente, sed a numine quodam maiore incitato, abrupto ac parum aequabili fluxu legentium sensibus blandiente, densissimis saepe caliginibus de industria offuso, a ceteris scriptoribus antiquis maxime differre constiterit. Satis hanc quaestionem curasse nobis videtur Alexander [2]), qui eam exemplis veterum oraculorum undique collectis eademque formula, ἀλλ' ὅταν, ἔνθεν ὅταν, simill. incipientibus profligare studet, quibus demonstratur, formulas illas ita fuisse usitatas, ut Aristophanes et Lucianus, ubi Sibyllas irridere velint, eisdem formulis ad inchoanda oracula sua utantur.

Diremtis his difficultatibus nihil amplius impedire puto, quin ad exponendum huius partis argumentum progrediamur.

Expletis fatis, quae Deus Magnus minatus fuerit eis, qui turrim Babelicam exstruxerint, esse eventura, quae Sibylla canere a Deo iussa sit. Peccasse enim illos, quia in caelum ascendere conati essent; quod consilium ne efficerent, Deum illico ventos misisse, ut turrim destruerent hominibusque iras mutuas inferrent [3]). Quo facto urbem

---

1) Ἀλλ' ὁπόταν l. 3, 97.

2) II p. 104 sqq.

3) Interpretes quotquot vidi nimis neglegenter hunc locum tractaverunt. Enuntiato enim ab ἀλλ' ὁπόταν incipienti apodosis deest. Quo iure Friedliebius in ed. sua p. 52 enuntiatum:

Ἀλλ' ὁπόταν μεγάλοιο Θεοῦ τελέωνται ἀπειλαί,
Ἅς ποτ' ἐπηπείλησε βροτοῖς, οἳ πύργον ἔτευξαν
Χώρῃ ἐν Ἀσσυρίῃ

puncti signo a sequentibus distinxerit, nescio, cum, quod sequitur, enuntiatum tanquam ἐξηγητικῶς ad antecedentia additum videatur. — Alexander, quae sequuntur: Ὁμόφωνοι δ' ἦσαν ἅπαντες

Καὶ βούλοντ' ἀναβῆναι εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα

uncis inclusit, apodosin quaerens in versu qui sequitur:

ipsam Babylonis nomen accepisse [1]). — Eversa autem ea turri homines variis sermonibus inter sese diversos per totum terrarum orbem difusos fuisse. (Nota, poetam, quasi alte-

Αὐτίκα δ'ἀθάνατος μεγάλην ἐπέθηκεν ἀνάγκην
Πνεύμασιν.

Sed ne hoc quidem rei grammaticae satisfacit. Ὁπόταν enim in protasi quantum scimus de rebus futuris, non de gestis dici potest ideoque in apodosi plerumque tempus collocatur aut futurum aut praesens; praeterito locus in tali apodosi ex mea sententia non relinquitur. Ewaldus (p. 32), fortasse hac re permotus, apodosin huius protasis (v. 97) invenisse sibi videtur in v. 286

Καὶ τότε δὴ Θεὸς οὐρανόθεν πέμψει βασιλῆα etc.

eos, qui interpositi sunt inter v. 99 et 286, explicationis introitusque munere fungi ratus, ut gravior atque magis saeva fiat apodosis. (Alle die beinahe 200 Zeilen, welche zwischen diesen beiden Wechselsätzen liegen, bereiten diesen schweren Nachsatz nur vor.) Credat hoc, qui minus rei grammaticae consulit, feratque longissimum illud nimisque distentum ducentorum fere versuum intervallum. Ceterum etiam vaticinia insunt in his versibus ducentis, iam inde a versu 167 incipientia, quae quomodo Ewaldus explicaturus sit, non video. Mihi quidem nisi, quae vocatur anacoluthia, nihil has difficultates solvere posse videtur. Poeta, qui iam in v. 99 animum ad futura canenda animadverterat, peccata eorum, qui turrim exstruxerant, relaturus, ad res ab illis gestas depingendas descendit, finem enuntiati inchoati reticens et postea, ut eo rediret unde evagatus erat, novam sententiam iniens v. 162.

Καὶ τότε μοι μεγάλοιο Θεοῦ φάτις ἐν στήθεσσι
Ἵπτατο, καὶ μ'ἐκέλευσε προφητεῦσαι κατὰ πᾶσαν
Γαῖαν καὶ βασιλεῦσι τάτ' ἐσσόμεν' ἐν φρεσὶ θεῖναι.
Καί μοι τοῦτο Θεὸς πρῶτον μόνος ἐγγυάλιξε,
Ὅσσαι ἀνθρώπων βασιληΐδες ἠγερέθονται.
Οἶκος μὲν γὰρ πρώτιστος Σολομώνιος ἄρξει κτλ.,

ita ut revera illi protasi respondeat enuntiatum οἶκος — ἄρξει, sensusque sit fere is: Postquam Deus ea, quae minatus sit nefariis turris illius auctoribus, effecerit, singulas singulorum populorum dominationes deinceps sese excepturas esse. — Rectius igitur et Alexander verba ὁμόφωνοι (v. 99) — ἠγερέθονται (v. 166) uncis inclusisset, et Friedliebius vocem Ἀσσυρίῃ (v. 99) non puncti signo sed lineola seiunxisset. Nostram sententiam suadent verba μεγάλοιο Θεοῦ v. 162 repetita ex versu 97. — Similiter iudicare videtur Lücke, Einleit. p. 68.

[1]) Nescio unde Ewaldus compertum habeat, poetam Babylonis nomen a voce βάλλειν derivari voluisse, praesertim cum haec vox toto illo loco non legatur.

rum quendam Euhemerum, ut mox videbimus, non in Graecorum solum fabulis, sed etiam, sicubi licebat, in Judaeorum libros sacros intulisse. In libris enim sanctis Deus ipse de caelo descendit sermonesque eorum ita confundit, ut alius alium non intelligat atque a turri exstruenda desistere cogantur, quae res minus ad prodigii instar ventorum mentione legentibus apparet.)

Eam fuisse aetatem decimam post Noëmi diluvium postque regna Saturni, Titanis, Japetique, qui similitudinis causa a poeta Judaeo pro eisdem haberi videntur, quos libri sacri Noëmi filios Sem, Ham, Japhet vocant, nomenque a Terra et Caelo [1]) eam ob causam eis inditum videtur, quod omnium mortalium optimi fuerint [2]). Patris iussu hos

---

[1]) cf. Genes. c. 6, 2 sqq. de בְּנֵי אֱלֹהִים filiis Dei et בְּנוֹת הָאָדָם filiabus hominis, quamquam ibi non de Noëmi liberis sermo fit; et orac. Sib. l. 3 v. 112 et 113.

[2]) Josephum antiqu. I, 4, 3 hoc vaticinum non ex Sibyllae operibus, sed ab Alexandro Polyhistore mutuatum esse probaverunt Bleekius l. l. I p. 148—152, ceteri plerique (cf. Klausen Aeneas und die Penaten p. 229 not. 382). Ob affixam autem huic narrationi de turri Babelica fabulam de regno Saturni Titanumque seditionibus tum ad verbum paene Hesiodum imitantem, tum in rebus singulis iisque satis gravibus ab eo discedentem Bleekius persuadere sibi voluit, totam hanc l. III partem inde a v. 97 usque ad 162 a Graeco quodam homine, in Aegypto florente, compositam esse, qui etiam Judaeorum doctrinae cognitionem aliquam habuisset ideoque ea, quae illi de dissidiorum originibus circumferebant, cum certaminibus Titanum comparare atque coniungere studuisset (ibid. p. 206—210), id quod etiam inde concludi posse videretur, quod in fine huius partis, ubi de singulis dominationibus agitur, in longa illa imperiorum serie Judaeorum mentio fieret nulla. — Qua cum sententia Bleekiana, ut cum omnibus fere a viro illo prolatis, consentit Gfroerer in libro suo. Sed recte Lückium monuisse censeo vix credi posse, hominem gentilem seculi a. Chr. n. secundi saltem, si non anterioris, literis Hebraeis adeo imbutum fuisse, ut de turri Babelica cogitaret in enarrandis illis fabulis, cum verisimilius esset, Judaeum quendam Alexandrinum, ut illa aetate permultos fuisse scimus, hoc carmine Graecorum de deis fabulas cum narrationibus patriis comparare atque commiscere voluisse. »Die heidnischen Sibyllen«, inquit, »bleiben bei dem Einzelnen, dem Localen und Nationalen stehen; ein universal-historischer Ueberblick der Weltreiche ist ihnen fern;

sine ulla simultate dominatos esse in tribus terrae partibus. Mortuo autem patre ingens de totius orbis imperio

---

nur der Jude wurde durch seine Schrifttradition darauf geführt. Auch stiess sich ein Heide nicht an der Getheiltheit und Verschiedenheit der Reiche und Herrschaften; der theokratische Jude dagegen war gewohnt, darin einen Widerspruch gegen die universelle Theokratie zu sehen.« (p. 68.) Quod autem homo Judaeus in enarratione illa gentium orbem domantium suos cives omisit, Lückius ita explicat, ut hic de gentibus vero Deo adversantibus agatur, quemadmodum ne Danielem quidem in aenigmate suo de eiusmodi dominationibus Judaeos enumerare videmus. — Simili modo Friedliebius hanc libri III partem tractat docens eam profectam esse a Judaeo, qui narrationes in theogonia Hesiodea lectas ad suorum librorum sanctorum similitudinem conformare voluerit eo consilio, ut discordiarum inter homines originem aperiat. (Prolegg. p. XXVIII). Idem sentit Hilgenfeldt (l. l. p. 59 et 60 cum adnott.) — Sed ne ita quidem omnes difficultates esse sublatas demonstrat Frankel (l. l. p. 295), monens, v. 105—109 doceri, turri eversa terram in singula regna esse divisam, quorum regnorum series vv. 159—61 fusius explicetur ita, ut in illa enarratione Titanum certaminibus tempus, quo geri potuerint, desit. Praeterea non video, quomodo Friedliebius, qui Titanum pugnas aetate decima δεκάτῃ γενεῇ (v. 108) gestas putat, tres Noëmi filios cum tribus illis regibus Saturno Titane Japeto nominatis comparare possit, cum illos multo ante turrim Babelicam floruisse constet, quae ex carminis nostris argumento aetate decima eversa est. Neque hoc quidem nobis verisimile videtur, poetam eosdem homines, quorum culpa orbis cupiditate dominandi vitiisque teterrimis dilaceratus sit, προφέριστοι πάντων ἀνθρώπων (v. 113) appellasse. Ea non offendant, si Frankelii sequamur sententiam, duas hoc loco legi versiones de hominum in diversas orbis partes dispersionibus atque inter sese dissidiis, quarum altera (v. 97—110) ad opiniones Judaicas magis accedat, altera alio ab auctore conficta in Euhemeri morem Graecorum fabulas exponat. Idem fere censendum putat Klausen, nisi quod addit, versionem Graecam antiquiorem fuisse atque in libris sibyllinis Romae conditis olim lectam fuisse (p. 228—30 sqq. c. adnott.). Maxime nobis sane arrideret Frankelii sententia, nisi etiam aliis huius carminis locis Titanes eorumque certamina commemorarentur (v. 199), quod certe fieri non potuisset, si nostra de Titanibus historia antea abfuisset. Quare nos aliam viam ingrediendam censemus. Quem ad finem iterum de argumento huius partis brevi disserendum est. „Postquam, inquit, Deus iratus ventos in turrim immisit, homines dispersi ac distracti sunt in diversissimas regiones, orbis totus hominibus est impletus, regna divisa. Καὶ τότε δὴ δεκάτη γενεὴ μερόπων ἀνθρώπων,

certamen exortum, quod Rheam [1]) Tellurem, Venerem, Cererem, Vestam, Dianam, ceteros homines, qui illa aetate auctoritatem aliquam habuissent, advocato consilio composuisse ea condicione, ut Saturnus, natu maior, imperium teneret

v. 109 Ἐξ οὗπερ κατακλυσμὸς ἐπὶ προτέρους γένετ' ἄνδρας
Καὶ βασίλευσε Κρόνος καὶ Τιτὰν Ἰαπετός τε,
Γαίης τέκνα φέριστα καὶ Οὐρανοῦ ἐξεκάλεσσαν
Ἄνθρωποι, γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ οὔνομα θέντες,
Οὕνεκα οἱ προφέριστοι ἔσαν μερόπων ἀνθρώπων.

Tum paucis rebus mutatis Hesiodi fabulae de Saturno Titanibusque exponuntur. Quid, si enuntiatum illud relativum ἐξ οὗπερ (v. 109) non voce ἄνδρας (ibid.) finiri, sed continuari putamus versibus sequentibus καὶ βασίλευσε κτλ, ut sensus sit is: „Tum decima fuit aetas hominum mortalium, ex quo diluvium oppresserat priscos homines et regnaverant Saturnus Titan Japetus« ita ut tres illi reges antea iustissimi statim post diluvium regnasse putemus, qui cum a patre (Noëmo) regnum acceperint, aliquamdiu tranquille regnaverint, postea obortis simultatibus liberis suis rixarum causas reliquerint. Neque enim sine causa poeta repente de Titanis filiis loquitur, quorum bella ac seditiones non sedata sint, quorumque posteri, eos dico, qui turrim Babelicam exstruxerunt, dissensiones illas ad summum fastigium provexerint, quare post eos multa variaque singularum hominum regna extiterint. Idem quod nos olim sensisse videtur auctor l. I., qui post diluvium aetatem quandam οὐρανίην numerat v. 286, ut secundum nostram huius loci interpretationem in nostri etiam libri v. 111—113 legimus, qua aetate tres quidam reges μεγάθυμοι, ἄνδρες δικαιότατοι (I v. 294), τὰ δίκαια νέμοντες ἀνδράσι (v. 295) imperium habuerint, postque eos aetatem Titanum, de quibus uberiorem in modum idem, quod Noster de turris Babelicae aedificatoribus, canit

v. 309 sqq. Τιτήνων· ὅμοιος δὲ τύπος ἐπὶ πᾶσιν ἕκαστον
Εἶδος καὶ μέγεθός τε φυήν· φωνὴ δὲ μί' ἔσται

eidemque idem moliti esse videntur, quod a Nostro v. 100 narratur:

I 314 Ἀντίβιον μαχέσασθαι ἐπ' οὐρανῷ ἀστερόεντι.

Origo igitur dissidii atque dissensionis inter homines iam ante turrim illam non multo post Noëmi diluvium quaerenda est, quarum dissensionum finis factus videtur orbe in varias partes diviso, id quod etiam in libri VIII vv. 5 sqq. legimus, in quo post turrim destructam statim eadem fere regna, qua l. 3, 159—162, enumerantur, quae secundum nostram huius loci explicationem turrim Babelicam secuta esse etiam a Nostro traduntur.

[1]) Falso Lückius Junonem in hoc numero reponit, quam tum nondum in vivis fuisse canit poeta.

iureiurando astrictus, se omnes, quos e Rhea uxore geniturus esset, liberos interemturum, ut ipsum Saturnum Titan in imperio sequeretur. Duobus Rheae filiis a Titanibus laceratis, natam esse Junonem, quae cum filia esset, custodientibus Titanibus causa discedendi fuisset. Sed paullo post eorum discessum natum esse geminum eius fratrem Jovem, qui clam a matre in Phrygiam per tres homines Cretenses, ubi educaretur, missus esset. Eodem modo etiam Neptunum Plutonemque esse servatos. Qua de re Titanes certiores factos laesi iurisiurandi causa Saturnum cum Rhea uxore in vincula coniecisse ipsosque rerum potitos esse. Neque vero impune hoc eis facere licuisse. Saturni enim filios, patris clade nuntiata, grave perniciosumque bellum esse molitos, primum illud inter mortales obortum[1]), a Deo Magno ita compositum, ut utrumque genus et Titanum et Saturniorum in perniciem ruisset. Post ea tempora singula deinceps extitisse regna, Aegyptiorum primum, tum Persarum, quos Medos esse secutos, Aethiopum deinde regnum, postea Assyriorum, deinde Macedonum novumque regnum Aegyptiacum (Ptolemaeorum), postremo Romanorum. Haec in regna, ut praediceret, quid tempore futuro eis immineret, Sibyllam esse missam. Mutatur igitur hoc loco color orationis et vates, quae adhuc omnia quasi praeterita narravit, ad exponenda ea, quae sequuntur, temporibus utitur futuris, nisi quod interdum invita neglegenter tempus praeteritum adhibet.[2]) Vaticinia autem, etsi ad orbem universum pertinent, tamen ad tres maxime gentes respiciunt, ad Judaeos nempe, quorum res gerendae, ut ita dicam, non gestae, poetae animum ad canendum illexerant: ad Graecos, qui etsi vires eorum iam tum evanescere ac magis magisque eos deficere coeperunt, tamen usque ad illa tempora ex magna illa antiquissimarum civitatum copia

[1]) Iterum hoc loco deprehendis poetae studium veterum fabularum a maculis eis purgandarum, quas Judaeorum ingenia maxime abominari solebant. Ea de causa non ipse Saturnus filios suos tollere e medio potuit, nec Jupiter cum Titanibus coniunctus arma contra patrem capere.

[1]) v. 255.

soli in potentia quadam atque auctoritate remanserant; ad Romanos denique, qui illa aetate Asianis Africanisque devictis summum terrae totius imperium sibi expetere coeperant, quorumque vires, siquidem vetus illa spes gentis Judaeae, orbem aliquando suae et doctrinae et ditioni subditum fore, expleri potuit, debilitari antea atque minui oportebat. Quare hae potissimum gentes earumque fata Sibyllae animo obversantur, ceteras obiter fere ac quasi in communem illarum gentium implicitas perniciem, qua prorsus omnium rerum praesentium commutatio eventura putabatur, commemorat. — „Primum — inquit — domus Salomonia imperium in Asiam fere totam exercebit, (id quod a poeta veritatis fide parum servata canitur, non tamen consilio quodam fraudulento, sed quia propter longum inter tempora illa et poetae aetatem intervallum fama a maioribus tradita, quippe quae omnia in maius extollat, ea quoque auxerat.) Tum erit gens Graecorum impura atque superba, quae Macedonum imperio subiicietur[1]). Quos Deus coelum colens funditus subvertet, imperium tradens alii cuidam genti, e mari Hesperio emersae, candidae multisque capitibus ornatae." — Hoc de Romanorum republica, qualis illa aetate erat, apte dici potuit, in qua populus, non ut in ceteris plerisque illius aetatis civitatibus rex unus, summam rerum tenebat, id quod recte a Friedliebio et Alexandro ad vocem πολύκρανον adnotatur. Neque vero minus apte rempublicam Romanam λευκὴν vocare potuit poeta, de senum (i. e. senatorum) canitie cogitans, vel, ut interpretatur Opsopoeus, de candida magistratuum toga. — „Hi magnam auri argentique vim multis ex urbibus auferent, sed eam tandem reddere cogentur terrae

---

1) 170, 71 Αὐτὰρ ἔπειθ' Ἕλληνες ὑπερφίαλοι καὶ ἄναγνοι,
Ἄλλο Μακηδονίης ἔθνος μέγα ποικίλον ἄρξει

pro ἄλλο (v. 177) ἀλλά legendum recte iudicat Alexander in curis posterioribus a. l., non ut Volkmannus (lect. Sibyll. p. 14) vult, εἶτα, scriptura nimis repugnante, etsi sensu flagitante.

divinae"[1]). Morum Romanorum, perversitatem, etsi etiamtum aliquantum corruptorum poeta ultra modum exaggerat, siquidem, id quod aliis ex notis clare satis agnosci potest, carmen hoc seculo a. Chr. altero scriptum est[2]). Fortasse Noster, castus Judaeus, magno morum Graecorum odio inflatus, eisdem omnes, qui non sua ex stirpe oriundi essent, homines esse maculatos putavit. „Ingenti lucri cupiditate commota, ea gens homines malis multifariis afficiet, maximeque Macedoniam, usque ad septimum Aegypti regem, qui Graecorum genere oriturus est. Tum denuo populus magnum Deum colens vires recipiet omnibusque mortalibus vitae viam monstrabit."

Haec omnia cantavit Sibylla, tanquam paucis (v. 167 bis 193) omnia, quae deinceps fusius exponere in animum induxit, delineatura atque adumbratura summamque operis sui in unum eoque dilucidiorem conspectum positura, id quod eo magis tenendum est, quia multum ad explicanda singulas huius vaticinii partes conferet.

Versus huius loci novissimi aetatem poetae clare satis indicant. De Romanorum republica loquitur, senatus auctoritate, non imperio unius administrata; labefactaturos eos cum alia regna Asiatica, tum Macedonicum, id quod in

---

1) v. 180, 81. πάλι δ'ἔσσεται ἐν χθονὶ δίᾳ
Χρυσίον, αὐτὰρ ἔπειτα καὶ ἄργυρος, ἠδέ τε κόσμος.

His iam versibus innuitur id, quod infra v. 351 sqq., fusius canetur, ut iam hoc versu genuinam esse eam, quam Alexander a recentiore quodam poeta adsutam putat, partem libri tertii evinci possit.

2) v. 185. Ἄρσην ἄρσενι πλησιάσει, στήσουσί τε παῖδας
Αἰσχροῖς ἐν τεγέεσσι.

Nam etsi paullo post nostri poetae aetatem raptim mirumque paene in modum mores Romanorum, olim integerrimi sanctissimique, depravati sunt, tamen haec de illa aetate non iure Romanis omnibus tribui potuerunt. Videsis hoc in versu, quemadmodum hominum animi futurarum etiam rerum divinationem aliquam habere possint, dummodo praesentia cernant recteque de eis iudicent, et inde de futuris concludant (cf. infra p. 86; 3, v. 591 sqq.

Persei ad Pydnam cladem[1]) aeque atque in bellum Macedonicum quod vocatur tertium (148—156) quadrat. Deinde potentiam Romanorum mansuram usque ad septimum regem Aegyptiacum, Graeca origine ortum. Quod ex hac temporum ratiocinatione sequitur, de rebus nos certiores facit duabus, primo, auctorem fuisse Aegyptium — quae enim alia ei fuerit causa tempora sua ad regni Aegyptiaci calculos referendi, nisi ipse originem suam inde duxit? — tum, floruisse eum regibus aut Ptolomaeo Philometore († 147) aut Physcone († 116), quorum alter in ordine regum Alexandrum Magnum secutorum septimus numeratur, Alexandro ipso in hunc numerum relato, alter septimus erat regum, Ptolemaeorum genere oriundorum. Uter eorum hoc loco significetur, certius his ex notis definiri nequit, sicuti iam supra, ubi de Macedonicis rebus aliquid suspicati sumus, ambiguum erat, utrum de Persei clade an de Macedonia subacta vaticinium illud esset percipiendum. Fortasse ex eis, quae infra sequentur, certiora colligere nobis licebit.

Versus 194—195, quibus de Judaeorum rebus secundis agitur: Καὶ τότ' ἔθνος μεγάλοιο Θεοῦ πάλι καρτερὸν ἔσται,

Οἱ πάντεσσι βροτοῖσι βίου καθοδηγοὶ ἔσονται

pro mero vaticinio[2]) haberi totus sententiarum ordo vetat. Quidquid enim usque ad hunc locum vaticinata erat Sibylla, id ex rerum eventu depromptum habebat, ideoque causam non video, cur hoc loco de rerum gestarum fundamento discedamus, praesertim cum duos hos versus eis, qui antecedunt (inde a v. 162) artissime conectere atque coniungere et eis unam quasi caput efficere voluisse poetam inde sequatur, quod post hos versus acquiescere videtur oratio, versibus hoc vaticinium claudens, qui, ut versus in fronte recitati initium esse sese profitentur, ita ipsi, finem huius vaticinii

---

[1]) Bleek. l. l. I, p. 212, quem de ceteris quoque huius loci vaticiniis cum fructu consuluimus. Nostra huius loci explicandi ratio non tam a nobis ipsis excogitata est quam singulorum vv. dd. de eo disserentium coniecturis a nobis delectis nititur.

[2]) Quod omnes fere censuerunt.

se esse atque ad novum quoddam transitionem, ostendunt[1]). Non igitur fallimur, quod versibus 194 et 195 de Maccabaeorum victoriis Judaeorumque sub imperio eorum rebus florentibus agi putamus. Neque vero de primis eorum contra Syros expeditionibus hoc dici potuit, — nimis enim tum videatur exaggerata gloria hominum, qui nisi parvos tumultus nihil agitaverant, — sed aptius hoc dictum censebis de eis Maccabaeorum temporibus, quibus ipsi iam potentiae aliquantum erant assecuti, de Simonis dico Maccabaei regno (c. 140).

Quodsi recte sese habet, non amplius in rebus supra commemoratis de Ptolemaeo Philometore dubitatio manet, cum ille anno c. 147 mortuus sit, certiusque loco illo de Physcone erit cogitandum, sicuti in altero illo loco adhuc dubio de Macedonia subacta magis, quam de Perseo agi nunc in aprico est.

Absoluta illa totius argumenti, ut ita dicam, synopsi poeta versibus modo commemoratis denuo res futuras praedicere incipit ita, ut breviter eis, quae adhuc praenuntiaverat, repetitis ad fusiorem de Judaeis enarrationemt transeat. Itaque ad Titanum aetatem revertitur, quos Saturni potentissimi filiis[3]) poenas esse daturos vaticinatur.

---

1) v. 162. Καὶ τότε μοι μεγάλοιο Θεοῦ φάτις ἐν στήθεσσιν
Ἵπτατο, καὶ μ' ἐκέλευσε προφητεῦσαι κατὰ πᾶσαν
Γαῖαν . . .

v. 196. Ἀλλὰ τί μοι καὶ τοῦτο θεὸς νόῳ ἔνθετο λέξαι·
Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον κακὸν ἔσται

Simile Vergilianum illud de Sibylla Aen. VI, 102:
Ut primum cessit furor et rabida ora quiescunt.

2) v. 199: Πρῶτον Τιτάνεσσι Θεὸς κακὸν ἐγγυαλίξει·
Υἱοὶ γὰρ κρατεροῖο Κρόνου τίσουσι δίκας γε.

Hunc locum repugnare narrationi, qualem supra vv. 110—55 de Saturni Titanumque certaminibus legimus, eo quod hic Saturnus a suis ipsius filiis vinctus referri videatur, illic a Titanibus, omnes fere viros doctos praeter Hilgenfeldtium fugit, qui hac de causa a recentioris poetae manu hos versus profectos putat, qui antiquiorem Graecorum de hac

Tum tyrannidas in Graecorum terra esse dominaturas, quarum opera Phryges omnes maximeque Troia in exitium sint ruituri. Omne genus mala eventura omnibus, quas supra recensuerat, dominationibus, Assyriis nempe (Πέρσῃσι καὶ Ἀσσυρίοις) Aegypto, Aethiopibus, Asiae minoris gentibus. Neque vero piam illam gentem, quae circum templum Salomonium habitet, a malis liberam esse mansuram. Antequam autem ad ea progrediatur, Sibylla originem huius gentis eaque, quae olim ei acciderint, enarranda putat.

Postquam Abrahami ex urbe Ur Chaldaeorum[1]) originem innuit, elogium sollenne virtutum, quibus tum maxime gens Judaea ceteris antecellebat, ore plenissimo declamitat, atque in superstitionibus eis, quae apud Judaeos non inveniantur, ceteris gentibus adhaereant, cum alias, tum eas numerat, quibus Chaldaeorum gentem semper favisse scimus

Οὐδὲ τὰ Χαλδαίων τὸ προμάντια ἀστρολογοῦσιν
Οὐδὲ μὲν ἀστρονομοῦσιν.

Judaeos, quamquam terra Chaldaica oriundos, non tamen curare studia astrologica vel astronomica[2]), quibus

---

re fabulam in suum usum verterit. Sed ne hac quidem via huius loci angustiis liberamur. Quid enim sibi vult γὰρ particula causalis, voci Υἱοὶ addita, cum in enuntiato antecedente de Titanum, Saturni fratrum, malis, in hoc de eius filiis agatur? Plane aliud de hoc loco senties, si pro Υἱοὶ legeris Υἱοῖς; tum enim recte Titanibus mala praenuntiantur, poenae tanquam a Saturni filiis repetitae, quia parentes eorum a Titanibus in vincula coniecti imperioque privati erant, ut supra poeta cecinerat. — Ceterum versus 200 clausula γε coniectura Opsopoea orta est, Pr. et codd. ea carentibus (Alex. a. l.), eoque magis miror, quod intolorabilis fere illa coniectura adhuc ab omnibus repeti potuit, sensu illa particula correpto magis, quam correcto; fortasse ita olim lectum est: Υἱοῖς γὰρ κρατεροῖοι δίκας τίσουσι Κρόνοο.

[1]) Satis probatam censeo Gfroereri coniecturam Οὐρ Χαλδαίων pro οὐ χαλδοῖο (in codd. A. B.) legentis, neque iure Friedl. cum codd. F. R. εὐρυαγυία legit, cum et in sequentibus de Chaldaeis agatur, neque intellegi possit, quemadmodum ex εὐρυαγυία lectio illa orta sit. — Alexander Gfroererum sequitur.

[2]) Recte Gfroerer (p. 144) monet, Nostrum h. l. discrimen statuere inter προμάντια ἀστρολορεῖν »stellarum oracula consulere« et ἀστρονομεῖν

artibus stulti homines quotidie incumbant, in rebus minime utilibus callentes, ex quibus mala multa hominibus redundent: sed exercere virtutes nobilissimas, obsecutos Magni Dei praeceptis, eis potissimum, quae in libris sacris commendentur. Qua re poetae potestas facta est in dithyrambi fere morem canendi Judaeorum ex Aegypto discessum legesque in Sinai monte latas, quas qui servet, eum fructus percepturum esse uberrimos, rursus qui laeserit, poenas daturum acerbssimas,

v. 261 sqq. Πᾶσι γὰρ οὐράνιος κοινὴν ἐτελέσσατο γαῖαν
Καὶ πᾶσι (ν) καὶ ἄριστον ἐνὶ στήθεσσι νόημα.

Ut enim omnibus mortalibus communem Deus assignaverit terram, ita etiam mentem optimam i. e. arbitrium integrum, liberum, principio incorruptum, omnibus inesse. Sed ne talibus quidem hominibus necessitatem parcere, sed in Babylonis exilium eos esse migraturos cum uxoribus liberisque, humi collapsura urbis sanctae moenia et templum Dei Magni, quia homines deserta lege Dei immortalis ad foeda vanaque simulacra sese converterint. Quare per annos septuaginta terram eorum orbam esse mansuram. Ferant tamen patienter atque animo aequo calamitates omnes ignominiamque; ac salutem expectent fidi sanctis Dei legibus, illum[1]) genua eorum, summis malis defatigata, esse sublevaturum. Divinitus enim missum iri regem, qui igne ac sanguine omnes mortales sit iudicaturus (Cyrus eiusque bella hic significantur, non ut Ewaldus et Hilgenfeldt putant, Messias), tribum quandam regiam (sc. tribum Jehudae[2])

„stellarum motus ad usum quendam scientiarum observare", id quod e versibus sequentibus clarius fiet:

Τὰ γὰρ πλάνα πάντα πέφυκεν
Ὅσσα κεν ἄνδρες ἐρευνῶσιν κατὰ ἦμαρ.

[1]) v. 285 codd. lectio Ὁππότε σεῖο ὀρθὸν γόνυ πρὸς φάος ἄρῃ paucis mutatis versum efficit si non elegantiorem, at certe tolerabiliorem minusque rei metricae repugnantem:

Ὁππότε σεῖο χαμὸν γόνυ ὀρθὸν πρὸς φάος ἄρῃ.

[2]) cf. Esdra 1, 5 sqq.

restituendi templi initium esse facturam[1]), adiutam auro, aere ferroque ab omnibus Persarum regibus, quibus Deus per somnium hoc imperaturus sit. Templum tum aeque fore in flore atque honore, atque olim fuerit.

Subsistit hic Sibylla in praenuntiandis fatis Judaeorum, et quia totius historiae Judaicae partem unam templi prioris eversione absolutam esse vult, et quia hic aptissimum putat esse locum vaticinandi de ceteris gentibus, praecipue de eis, a quibus Judaeorum gens olim oppressa fuerit. Nam etsi praecipuum huius carminis consilium fuisse videtur canendi fata Judaeorum, tamen siquidem non solis Judaeis uti voluit lectoribus, ad ceteras etiam orbis gentes respiciendum erat. Itaque inde a v. 303 usque ad v. 572 gentilium maxime habetur ratio eisque varia mala praedicuntur, missa a summo Deo, partim ut superbiae poenas luant, partim ut a falsorum numinum cultu ad unius verique Dei fidem atque venerationem sese convertant. Insunt in hac huius carminis parte variorum generum, aetatum diversarum oracula, caliginibus adeo circumfusa, ut omnia clare exponere atque explicare vix cuiquam contigerit. Sed quantum potuerunt viri docti enisi sunt, ut pleraque, si minus intellegere ac perspicue cernere, at certe suspicari possit, qui eis legendis operam dederit. Mirum igitur non videtur, quod nuper Alexander maximam horum oraculorum partem (vv. 295—488) Antoninorum temporibus a recentiore quodam poeta Christiano vel Semi-Judaeo esse interpolatam censet. Causas, quae eum in hanc sententiam induxerunt, refellere conabimur in adnotationibus singulis locis additis, hoc loco unum contendisse satis remur, eum non iure hanc partem in suspicionem vocare, quod in ea saepius, quam pro illa prioris partis aetate, Romanorum mentio fiat. Inductus est v. d. in eum errorem auctoritate plerorumque, qui antea hoc carmen tractaverunt et compositum censuerunt anno 170 vel 160 a. Chr. n., ea sane aetate, qua Romani, etsi praepollentes, nondum tamen nominis sui terrorem

[1]) cf. Esdra 3, 8 הֵחֵלּוּ ἄρξεσ' ἐγείρειν.

orbi toti maximeque Asiae et Aegypto incussissent. Sed cum, ut supra nos cognovimus et infra fusius disputabitur, Carthagine demum eversa subactaque Graecia anno 140 scriptum esse carmen illud iudicaverimus, minus admirandum est, quod Romanorum potentia, in dies singulos efflorescens atque crescens, poetae amino magis obversata sit, quam aut Syrorum civitas invalida ac paene omni modo labefactata, aut regnum Aegyptiorum, bellis intestinis vexatum laceratumque ita, ut iam tum Romanis facultas data esset, suum arbitrium aliis imponendi. Simili modo Bleekius, eumque secuti Gfroerer, Lückius nonnulla immerito pro interpolatis habenda censent, de quibus suo loco disseremus. Nobis quidem Friedliebius Ewaldusque facile persuaserunt, nihil fere interpolatum, omnia una manu profecta esse. Minime autem probare potuimus Alexandri rationem, qui iam inde a versu 295, nulla alia ni fallor causa ductus quam quod exordium novum Sibyllae usitatissimum hoc loco legitur, interpolatorem deprehendisse sibi visus est. Ut enim supra demonstratum est, hoc loco pars una totius huius carminis absolvitur, ad Judaeorum fata pertinens, fitque progressus ad partem alteram, qua de calamitatibus eis, quae gentilibus immineant, oracula eduntur, ideoque nihil nos moratur exordium hoc eis, quae saepius [1]) in his carminibus redeunt, simmillimum. Praeterea ea, quae sequuntur de Babylone vaticinia, tam arte cum antecedentibus cohaerent, ut abiectis his versibus deesse aliquid videatur. Actum enim erat adhuc, ac praecipue in fine partis primae (v. 265—95) de Judaeorum templo evertendo rursusque restituendo, hoc loco ad eas Sibylla transit gentes, quae Judaeorum calamitatum templique destructi auctores fuerant [2]). Itaque primum Babyloniis Assyriisque mala praenuntiantur, quibus eos affecturus sit Deus crudelitatis superbiaeque

---

[1]) e. g. huius libri locis v. 163, 490 sqq., al.

[2]) cf. v. 300 sqq. Καί μοι τοῦτο Θεὸς πρῶτον νόῳ ἔνθετο λέξαι,
Ὅσσα γε τῇ Βαβυλῶνι ἐμήσατο ἄλγεα λυγρά
Ἀθάνατος, ὅτι οἱ ναὸν μέγαν ἐξαλάπαξαν.

poenas repetens. Eadem fortasse de causa Aegyptiorum cladem magnam atque funestam praevidet poeta, afflixuram eos septima regum generatione (cf. quod supra [1]) de Ptolemaeis Physcone et Philometore disputavimus): gladius enim per mediam eam incedet (indicantur fratrum de imperio dissensiones), dispersio, fames, mors eam conteret, (haec de Physconis crudelissima dominatione cum Hilgenf. intellegimus) postea diem supremum obibit [2]).

Terram Gog et Magog [3]), interpositam Aethiopum fluminibus, iudicium supremum opprimet ita, ut sedem iudicii homines eam appellaturi sint. Eodem modo Libya, „mare terraque", filiae occidentis [4]) acerbam iudicii supremi diem subibunt, quia magnam Dei immortalis domum violarunt dentibusque ferreis crudelissime corroserunt [4]).

Stella crinita in occidente effulgens bellorum mortisque omen erit omnibus mortalibus, praecipue ducibus magnis

---

v. 310 sqq. Καὶ τότ' ἔσῃ ὡς ἦσθα πρότου, ὡς μὴ γεγονυῖα,
Καὶ τότε πλησθήσῃ ἀπὸ αἵματος, ὡς πάρος αὐτὴ
Ἐξέχεας ἀνδρῶν τ' ἀγαθῶν ἀνδρῶν τε δικαίων,
Ὧν ἔτι καὶ νῦν αἷμα βοᾷ εἰς αἰθέρα μακρόν.

1) p. 28.

2) Alexander propter errorem suum de recentiore huius partis aetate καὶ τότε παύσῃ »de fine Aegyptiae calamitatis post Antiochi discessum« intellegi vult, parum rei grammaticae et sententiarum ordini consulens. Ceterum non video, cur Antoninorum aequalis Aegyptiorum calamitates non alias commemorandas censeat, quam eas quas sub Philometore et Physcone perpessi sunt, ne subactae quidem Romanorum ditioni Aegypti recordatus.

3) v. 319 sqq. — Gog et Magog, quos homines fabulosos in libris sacris ante adventum Messiae perituros praenuntiatur. Noster hoc loco in Aethiopia collocat, vulgo pro Scythis habentur, ut etiam infra a Nostro.

4) Alexander θυγατέρες δυσμῶν de Romanis, qui templum alterum everterant, accipit, qui cur cum Libya sint coniuncti non addit. At recte a Lückio revocatus est hic locus ad Ezech. 38, 5. 39, ubi cum Magog, Persae, Aethiopes, Libyes contra Judaeorum terram proficiscuntur. Eundem prophetam vates noster saepius adhibuisse videtur, itaque quod ille 38, 20—23; 39, 17 — extr. nomine Dei praenuntiaverat, in carmine nostro ad Sibyllinum os modumque adaptatum nobis occurrit

nobilibusque (fortasse his praesagiis mors Hannibalis bellumque Punicum significatur).

Sequuntur vaticinia dira de inundationibus terraeque motibus multis Europae Asiaeque, quae partim ex eventu praedicta, partim, quae cuiusque loci naturae aptissima erant, divinata esse puto. Tantum ex hac urbium illarum recensione sequitur, poetam, quantumvis de urbibus illis harioletur, neque in Europa neque in Asia versatum fuisse; urbes enim, quae in altera terra sitae erant, in numero earum collocat, quae in altera incolebantur. Praeterea et sensus et lectionum confusio ea est, ut plana horum oraculorum explicatio Oedipum sane desideret, nobis autem arte ea, quae et ipsa criticum decet, nesciendi atque ignorandi sit utendum. Clauditur series illa urbium variis modis vastandarum malo quodam Alexandrino his verbis praedicto:

v. 348. Ἴσθι τότ' Αἰγύπτου ὀλοὸν γένος, ἐγγὺς ὀλέθρου,
Καί τότ' Ἀλεξανδρεῦσιν ἔτος τὸ παρελθὸν ἄμεινον,
Ὁππότε δασμοφόρους Ἀσίης ὑπεδέξατο Ῥώμη.

Alexandrini tanta clade affligentur, ut tempus, quod antecesserat, optatius eis foret, quo Roma Asianis vectigalia imposuerat [1]), id quod pro aetatis indicio habeo, etsi certus annus definiri nequit, quia Aegyptiis res futurae praedicuntur, Asiani autem seculi a. Chr. alterius inde ab initio multas magnasque clades acceperant et vectigalia iam anno a. Chr. 189 Romanis pendere coacti erant [2]). De his enim vectigalibus tempore loquitur aoristo.

Sed ne Romani quidem divitias illas in tempus aeternum retinebunt. Ut enim iam in eis versibus, quos supra totius operis argumentum continere demonstravimus [3]), significatum erat atque nostro loco fusius canitur, ex saeva necessitatis lege Romani Asianis triplici modo reddere cogentur, quidquid illis eripuerant et quot nunc Romanorum servi

1) Alexander sine iusta causa pro ὁππότε δασμοφόρους legit ὁππόσα δασμοφόρου.

2) cf. Liv. XXXVII, 45: pro impensis deinde in bellum factis quindecim milia talentum Euboicorum dabitis cett. cf. 37, 55. 38. 38.

3) v. 180 sqq. — cf. nos p. 27, 28.

sunt ex genere Asianorum, eiusdem numeri vicies multiplicati servi Romani dominis Asianis parebunt.[1]) Roma enim, virgo illa mollis ac delicata, saepe in epulis nuptialibus ebria, serva tum indecore[2]) nubet ac tondebitur a domina sua, quae ita exsultabit, ut infimis summa commisceat. Nec beatiore sorte utentur Samos, Delos, Smyrna, qui loci antiquiore fortasse quodam oraculo nominibus eorum ludente ita compellantur.

v. 363. Ἔσται καὶ Σάμος ἄμμος, ἐσεῖται Δῆλος ἄδηλος
Καὶ Ῥώμη ῥύμη κτλ.

Asiam autem atque Europam pax beata fertilissimaque tenebit, qualis antea non floruerit in terris. O beatos, quibus, ut usque ad illa tempora vivant, contigit. Εὐδικίη enim, εὐνομίη, ὁμόνοια σαόφρων, στοργή, πίστις, φιλίη ξείνων similesque virtutes ubique colentur, fugient vitia omnia eis contraria. —

Mira fortasse cuipiam videatur hoc iam loco apparens spes illa futurae totam per Asiam atque inde in Europam transeuntis prosperitatis, nec tamen cum Bleekio[3]) ceterisque vv. dd. hos versus pro spuriis habere necesse est, immo vero, nihil magis ad consuetudinem naturamque sibyllinam accedit quam ratio significandi atque adumbrandi operis totius antea, quam ad singula fusius canenda procedatur. Quid igitur mirum, si post dirum illud de Romanorum per-

---

1) Versus 180 sqq. vetant, nos cum Bleekio, (l. l. p. 221) Gfroerero hunc locum (v. 35—80) recentiore insertum manu Christiana putare cum supra idem significatum sit, quod hic fusius explicatur. Reiiciendorum horum versuum causa fuit viris doctis ea, quod spes quaedam recentioris aetatis de commutationibus rerum Romanarum deque Asiae futura prosperitate, cuius vestigia apud Tacitum (historiarum 15, 13;) Suetonium (Nero extr.; Vesp. 4) deprehendi possunt, hoc loco commemoratur. Tamen verus atque primarius talis sententiae fons in Judaeis quaerendus erat, qui mundi Servatorem »ex terra sacra oriturum sibi finxerant«, itaque non dubito, quin illa spes a scriptoribus commemorata inde originem duxerit.

2) Falso Friedl. a. l., Ewaldus (p. 17 l. l.) οὐκ ἐνὶ κόσμῳ verterunt »nicht in der Welt.«

3) l. p. 221.

nicie vaticinium καὶ Ῥώμη ῥύμη [1]) beatam ab antiquis prophetis iamdudum praedictam aetatem proxime adesse vates putavit [2]).

In eis, qui sequuntur, versibus, quamquam res obscuriores canuntur, tamen, quantum intellegi per nebulas potest, de Alexandro Magno eisque, qui eum subsecuti sunt, agi constat, eoque magis miramur interpretum nonnullorum rationem ad Romanos hunc locum referentium. At

Ἀλλὰ Μακηδονίη βαρὺ τέξεται Ἄσιδι πῆμα

„Macedoniam parituram esse grave Asiae malum" quis dubitet, quin hoc de Alexandro Magno sit accipiendum, praesertim cum versibus, qui sequuntur, etiam ad commenticiam eius a Jove procreationem verbis

v. 383 Ἐκ γενεῆς Κρονίδαο νόθως [3]), δούλων δὲ γενέθλης

„falso ex Saturniorum, vere autem e servorum genere" respiciatur. Illa (Macedonia sc.) Babylonem urbem validissimam domabit [4]), sed succumbet gravi fato (κακαῖς ἄτησι) posteris lege non relicta (πολυπλάγκτοισι fortasse de magno illo Alexandri regno post mortem eius permultas in partes divulso.) Aptissime hoc de subacta Romanorum imperio Macedonia dici potuit, quae quasi mater reliquarum post Alexandrum Magnum civitatum exstiterat.

Quid sibi velint versus, qui sequuntur, 388—400, praeter Hilgenfeldtium et Ewaldum nemo fere virorum doctorum contendere ausus est, quamvis hoc loco recte accepto de

---

1) v. 364.

2) Volkmannus lect. Sibyll. p. 15 etsi aliis causis commotus, tamen nostram de hoc loco sententiam adiuvans, versuum 361—366 ordinem turbatum ita restituit, ut de Romae oraculum καὶ Ῥώμη ῥύμη postremo loco legeretur.

3) Ita legimus corruptam codicum editionumque lectionem quae num unquam plane restitui possit dubitamus Ἐκ γενεῆς χρονιδῶν B χρονίδαο F L R νόθο δοῦλόν τε (γε L. R et F.?) Pr. B. F. L. R.

4) Vox δεδομήσεται pro »domabit« (v. 384) nullum adhuc interpretem offendit; at δεδαμήσεται si scriptum fuisset, multo sane facilior foret explicatio, etsi haec quoque forma contra dicendi morem usurpata esset.

totius carminis aetate certum iudicium ferri potuerit. De Alexandri quidem sententia [1]), Hadrianum his versibus significari, taceam, sed ne Bleekius quidem, Gfroerer, Lückius nobis ad explicandum hunc locum satisfaciunt, ad singula exponenda vix accedentes. Sed antequam duorum illorum, qui diligentius in eam rem inquisiverunt, sententias examinemus, ipsi versus gravissimi considerandi sunt. Legimus enim in vv. 388—400;

vv. 388—400: Ἥξει καί ποτ' ἄπιστος ἐς Ἀσίδος ὄλβιον οὖδας
Ἀνὴρ, πορφυρέην λώπην ἐπιειμένος ὤμοις·
Ἄγριος, ἀλλοδίκης, φλογόεις· ἤγειρε γὰρ αὐτὸν
Πρόσθε κεραυνὸς φῶτα· κακὸν δ' Ἀσίη ζυγὸν ἕξει
Πᾶσα, πολὺν δὲ χθὼν πίεται φόνον ὀμβρηθεῖσα.
Ἀλλὰ καὶ ὧς πανάϊστον ἅπαντ' Ἀΐδης θεραπεύσει·
Ὧν δή περ γενεὴν αὐτὸς θέλει ἐξαπολέσσαι,
Ἐκ τῶν δὴ γενεῆς κείνου γένος ἐξαπολεῖται·
Ῥίζαν ἴαν γε διδοὺς, ἣν καὶ κόψει βροτολοιγὸς
Ἐκ δέκα δὴ κεράτων, παρὰ δὲ φυτὸν ἄλλο φυτεύσει.
Κόψει πορφυρέης γενεῆς γενετῆρα μαχητήν,
Καὐτὸς ἀφ' υἱῶν, ἐς ὁμόφρονα αἴσιον Ἄρης (ἄρρης) [2])
Φθεῖται καὶ τότε δὴ παραφυόμενον κέρας ἄρξει.

Atque primis quidem versibus quin de Antiocho IV. Epiphane agatur, vix dubitari potest, etsi Friedliebius [3]), non addita ratione, qua cetera cum sua huius loci explicatione congruant, ad Ptolemaeum, cognomine Cerauni appellatum, haec referenda censet. Rectius ab Ewaldo [4]) moneri nobis videtur, alludi verbis ἤγειρε γὰρ αὐτὸν πρόσθε κεραυνὸς φῶτα [5]) ad Antiochi Epiphanis patruum Seleucum, eodem cognomine appellatum. In arma eius prospera, quibus, Coelesyria, Palaestina, Phoenicia subactae erant,

1) vol. I aduot. a. h. l., vol. II, p. 366—75.

2) ita sine sensu codd. et edd. Fortasse olim lectum est: Καὐτὸς ἀφ' υἱῶν, ἐς ὁμόφρονα αἴσιμον ἄρην, Φθεῖται.

3) Prolegg. p. XXXII.

4) l. l. p. 13.

5) Non plane intellego versionem Friedliebianam: Es weckte zum Licht ihn ein Blitzstrahl.

optime quadrant verba: κακὸν δ' Ἀσίῃ ζυγὸν ἕξει (v. 391). „Tamen et ipse Orco succumbit, genusque eius ab eis dirimitur, quorum stirpem ipse exstinguere voluerat, unam quidem ipse stirpem relinquens, quam ex decem cornibus [1]) Mars demetet."

Constat, Antiochum quartum, Seleuci fratris filium Demetrium regno privasse, qui tamen, anno 162 a. Chr., pulso Antiocho quinto, quarti filio, regnum recuperavit. Illud φυτὸν ἄλλο, quod Mars, aeque in Antiochi atque in Seleuci prolem furens, serit, de Alexandro Bala accipiendum cum Hilgenfeldtio [2]) puto, qui se ipsum Antiochi filium nominaverat. — „Ille occidet genuinae (πορφυρέης v. 398) prolis auctorem bellicosum, occidetur autem ipse a filiis illius, quibus coniunctis Mars erit propitius." Anno 146 Alexandrum interfectum esse eumque duos Demetrii I. filios, Demetrium sc. II et Antiochum II in regno subsecutos esse, notum est. Pari modo etiam clausulam v. 400 e rerum eventu deprompsit vates. Opera enim Tryphonis, qui vivo Alexandro exercitui praefuerat, filius illius nomine Antiochi VI (144—142) contra Demetrium II arma tulerat, postea Trypho ipse rerum est potitus (142—137). — De alterius eorum regno — utrius non elucet — sermo fit in hac clausula: καὶ τότε δὴ παραφυόμενον κέρας ἄρξει. —

Sensui ita explicando cum etiam cetera, quae adhuc locis singulis de aetate huius carminis indagata sunt, faveant, dubitationi opinor vix relinquitur locus.

---

[1]) Eadem decem cornuum imago in Danielis c. 7 revertit, sed num de eisdem personis usurpata vix ausim contendere. Hoc quidem loco de Seleucidis agi consentaneum est. Neque vero quaestionem eam temere tractaverimus, uter ex utro hanc imaginem hauserit, cum Danielis liber annis vix triginta nostrum carmen superet. Aeque difficile est putare, ut Bleekius, Gfroerer, Lückius, imaginem illam de Alexandri successoribus tum usitatam apud complures fuisse.

[2]) Ingeniose haec omnia Hilgenfeldtius e verbis obscurissimis sane et ad aenigmatis instar expressis eruit, quem ideo in exponendo hoc loco optimum ducem sequimur. (Die jüd. Apokalyptik p. 71, 62.)

Quae sequuntur oracula de Dorylaei[1]), Phrygiae cuiusdam urbis, motu vix clare explicari poterunt: nobis id unum sufficiat, sprevisse Ewaldi sententiam, qui haec quoque de Syrorum regno canta esse contendit ita, ut

v. 402 sqq. Ὁππότε κεν Ῥείης μιαρὸν γένος — — —
404. πανάϊστον ἴῃ ἐν νυκτὶ γένηται,

de Seleuco, ab ipsa matre Cleopatra (Rhea?) trucidato, accipiatur[2]). Sed ad nova quidem sermonem procedere ipsum horum versuum initium dilucide docet:

v. 401. Ἔσται καὶ Φρυγίῃ δὲ φερεσβίῳ αὐτίκα τέκμαρ
Ὁππότε κτλ,

ideoque magis nobis placet, quod ceteri plerique viri docti suspicati sunt, hoc loco vetustum quoddam oraculum ethnicum a Nostro insertum esse, cuius generis plura infra nobis occurrunt. Testis fortasse huius sententiae est auctor libri I,[3]) qui idem fere de Phrygia oraculum literis magis, quam verbis mutatis, sed sensu omnino alio ac plane diverso carmini suo (vv. 184 sqq. ibid) intexuit. — Praeterea omnis fere horum oraculorum series, inde a. v. 400 usque ad. v. 490 vaticinia continere videtur antiquiora, spissis tenebris obvoluta, quae ut ipse poeta noster, qui ea operi suo addidit, plane intellexerit vereor, adeo ut in hanc huius poetae rationem maxime cadat Vergilianum[4]) illud de Sibylla:

„Horrendas canit ambages antroque remugit
Obscuris vera involvens.“

Unum tamen in tantis rerum nebulis divinare licet, a poeta versus quoque 400—413 tanquam omen evertendae

1) Dorylaeum nominatum ob saevos terrae hominumque motus; cf. intpp.

2) Refutata hac explicatione, audaciore sane, quam quae longiore refutatione egeat, cadit Ewaldi opinio de aetate huius carminis. Illa enim potissimum de causa usque ad annum a Chr. n. 124 vir doctus in definienda aetate descendit. (cf. Ew. l. l. p. 16.)

3) Idem nostrum carmen et cognovisse et saepissime ad componendum carmen suum adhibuisse videtur, multumque ad intellegenda huius carminis oracula confert. (vide supra p. 19, p. 24 not.)

2) Aen. VI, 100.

Troiae, ad quam vv. sqq. progreditur, praemissos esse. Phrygiam enim cum Troia coniunctam in hoc carmine iam supra[1]) legimus, neque ita raro in ceteris. Ac sensus eorum fortasse ad ea nos revocat, quae supra de Jove, Neptuno, Plutone in Phrygia educatis[2]) vates cecinerat. Ita enim facilius intellegi possit, quid Ρείης μιαρὸν γένος (v. 402), quid πόλις αὔτανδρος[3]) σεισίχθονος Ἐννοσιγαίου (v. 405), quid καιρὸς ἐκεῖνος ἐπωνυμίην ἐνοσίχθων (v. 408) ad nostrum carmen faciant. Mala enim maxima imminere, praedicere videtur poeta Phrygiae ab eis, quibus educandis, fovendis, colendis olim operam dederit. — Neque vero aliud quam divinare licet in tantis et rerum et lectionum angustiis, quamquam versus, qui haec oracula claudunt, nostrae de eis sententiae favere videntur. Legitur enim v. 410.

> Σήματα δ' οὐκ ἀγαθοῖο (omina), κακοῖο δὲ φύσεται ἀρχή·
> Παμφύλου πολέμοιο (sc. belli Troiani, quod ἀπὸ πάντων φύλων gerebatur) δαήμονας (?) ἄξει (ἕξει?) ἀνάγκας.

Simili de causa in medio reliquendum censuimus, utrum oraculum, quod sequitur, notissimum de Troia evertenda deque Homero libris sibyllinis furtive abusuro ex Nostri ingenio profectum, an idem in antiquiore quodam vel antiquioribus quibusdam vaticiniis sibyllinis lectum sit[4]). Quae-

---

1) v. 205, 206.

2) v. 140 sqq. — cf. l. 5, v. 130.

3) Sic lego cum Klauseno (Aeneas u. d. Penaten I, p. 297, not. 425, p. 569 et Volkmanno (lectt. Sibyll. p. 16):
ἐν (Volkm. σὺν) πόλει αὐτάνδρῳ σεισίχθονος Ἐννοσιγαίου pro ἐν πόλει Ἀντάνδρου τε Σεισίχθ. κτλ.

4) In hunc locum diligentissime librorum sibyllinorum interpretes inquisiverunt, apud quos testimonia quoque huius loci, e veteribus scriptis collecta aspicias (Bleek. I, p. 152 sqq. ex Varrone a Lact. citato, ex Diod. Sicul., Solino, Pausania; id. p. 224; Friedl. prolegg. p. XXXII; Alexand. vol. I a. l.; vol. II p. 118, 120; cf. p. 12, 13; p. 375 et passim), alia Sibyllae Erythraeae, alia Delphicae hoc oraculum tribuentia. Neque vero quemquam eorum offendit, quod poeta noster nec pro Erythraea, nec pro Delphica haberi vult (v. 808 sqq). Nam etiamsi concedamus — id quod adhuc in dubio relinquere malo — finem l. III

cunque enim a viris doctis afferri solent argumenta, ut demonstretur, hoc nostrum oraculum Varroni iam atque adeo Apollodoro Erythraeo innotuisse, omnia id unum probare videntur, olim in antiquae illius, quae vere atque suo iure vocabatur Erythraea, Sibyllae carmine idem vaticinium infuisse, eos autem, qui nostrae Sibyllae testes advocantur, nostram nullo modo nosse. Qui enim, quaeso, fieri potuisset, ut omnes illi vaticinium hoc ab Erythraea editum contenderent, si Nostram legissent, quae falso se aliquando Erythraeam vocatum iri in fine oraculorum suorum aperte praenuntiavit [1]), ea nimirum de causa, quod poeta noster a Sibylla Erythraea nonnulla se mutuatum esse sibi conscius fuit. Accedit, quod idem de Troia Homeroque oraculum a Pausania et aliis Sibyllae attribuitur Delphicae. Quare a vero haud procul abesse potest, si quis poetam nostrum hanc carminis sui partem ex antiquioribus quibusdam ac plane obsoletis vaticiniis hausisse censeat, eumque ea de causa in fine carminis sui veram originem suam indicandam putasse, quia ob oracula illa extrinsecus assumta pro illis haberi noluerit.

Canit autem de bello Troiano Homerique carminibus haec:

Furia tanquam proles quaedam Lacedaemone crescet, Europaeis Asianisque malorum multorum semen; maximis

---

interpolatoris manu mutatum esse, nemo tamen v. 808—818 genuinos esse infitiari audet praeter Bleekium, qui hos versus ab eo profectas putat, qui 97 versus primos huic carmini affixerit, eam ob causam, quia Varronem, ceteros, hoc carmen Erythraeum vocare compererit, res certe nimis dubia, quam quae argumentis ad refellendum egeat — Unus Lactantius (div. inst, I, 6) de nostro poeta recte iudicasse videtur, cum dicit: Nomen suum carmini verum inseruit, et Erythraeam se nominatum iri praelocuta est, cum esset orta Babylone (cf. v. 808—18). Quodsi nihilo minus hoc carmen Erythraeum Lactantius vocat, auctores sequitur Varronem ceterosque se priores, cum Apollodorum, Varronemque eadem, qua ipse, Sibylla usos fuisse putet, qua in re errasse virum doctum putamus (cf. Lact. de ira dei c. 22. —)

[1]) v. 808 sqq.

autem calamitatibus affliget Ilium, cuius gloria apud posteros nunquam senescet. Mortalis enim quidam ψευδογράφος ἀνὴρ luminibus carens, abundans mente atque ingenio, scribet res circa Ilium gestas, non quidem vere, at clare, verbis usus sibyllinis (οὐ μὲν ἀληθῶς· ἀλλά σαφῶς, ἔπεσι (ν) γὰρ ἐμοῖς (424.) Ipse enim primus libros sibyllinos evolvet, ornabitque belli illius heroas Hectorem Priamidam et Pelidam Achillem, ceterosque, qui proeliis illis interfuerunt. Quin etiam Deos adfuisse his finget, omnibus modis fraudaturus ita, ut mortis nobilissimae fama cantibus illis ad posteros perveniat."

Firmatur id, quod de hoc vaticinio Iliaco censuimus, versibus, qui sequuntur, omnibus usque ad v. 463, ubi interpretes omnes[1]) vetustiora sibi visi sunt deprehendisse oracula. Praenuntiantur enim loco illo saeva singulis quibusdam, maxime Asiae Minoris, civitatibus urbibusque mala, quorum ex numero ea commemorasse satis est, quae Klausenius in libro suo sagacissime indagavit. Recte enim mihi quidem vir doctus eruisse videtur, quae his versibus de calamitatibus ab Asia in Samum[2]) venturis canerentur, de eis temporibus accipienda esse, quibus Otanes, fortasse a Phoenicibus adiutus, Samiis cladem cruentissimam attulisset, qua calamitate Samii, usque ad illa tempora re maritima praepollentes, omne fere imperium maritimum amisissent. Nam cum postea Samiorum respublica vires recepisset, vix credi posse, calamitatem istam hominum mentibus ita inhaerere atque insidere potuisse, ut multis seculis post sibyllinum de ea re dictum condi potuisset. Vix igitur dubitari potest, quim illud oraculum circa Darii fere, Persarum regis, aetatem compositum sit, qua eadem Athenis Onomacritum antiquorum carminum epicorum et theologicorum

[1]) Bleek. I, p. 226; Lücke, Einleitung etc. p. 73; Hilgenfeldt p. 72; Alexander II p. 376, etsi in tempora recentiora haec detrudere frustra conatur; Friedliebius prolegg. p. XXXII et XXXIII; Klausen I, p. 240 sqq. cum notis.

[2]) v. 450 sqq.

collectiones instituisse constat. — Eodem modo cum Klausenio, quae in his versibus (449,50) de Lydorum motibus, Persarum regnum labefactaturis, praenuntiantur, ita de bellis Persicis accipimus, ut poeta victoriarum, quas Graeci a Persis reportarunt, causas et quasi semina declaret aut motus illos olim adverso Marte in Jonia tentatos, aut, id quod magis placet, Lydos subiectos, quippe quae princeps fuisse videatur causa omnium seditionum in citeriore Asiae parte actarum. —

Pari modo aliorum quoque, quae hoc loco leguntur, oraculorum veterum, — quae tamen non omnia uno tempore composita videntur [1] — sagaciter Klausen originem indagavit, quae quidem, cum ad rem nostram nihil faciant, omittere hic liceat. — Neque vero omnia illa, quae hoc loco leguntur, oracula, necessario in vetustorum quorundam carminum numero esse reponenda putamus, sed hic illic urbi vel civitati alicui talia praedici, qualia vel ex loci natura vel hominum condicionibus facile concludi ac paene divinari potuerint. Itaque facile poeta, cum ceteras omnes fere civitates unius hominis imperio subditas videret, Romanorum reipublicae, cuius vires tum in dies augeri atque crescere coeperunt adeo, ut vix ulla gens resistere ei posse videretur, exitium praedicere potuit id, quod non Ἄρης ἀλλότριος, sed ἐμφύλιον αἷμα allaturum esset [2], cum inde a primis reipublicae Romanae temporibus motus dissidiaque intestina eam lacerassent, neque opus est hoc loco cum Ewaldo [3] de Gracchorum tantum seditionibus cogitare, cum cetera aetatis signa in tempora antiquiora quadrare videantur. Minime autem cum Alexandro [4] ad explicandum hoc vaticinium in Caesarum tempora descendere licet, cum iam Bleckius [5] recte monuerit, hoc loco Italiam compellari

1) partim ad Persarum imperium pertinentia, partim post Alexandri Magni mortem condita cf. Klausen, Friedl. l. l.

2) vv. 465 sqq.

3) l. l. p. 18.

4) l. l. a. h. l.

5) l. l. I p. 225.

tanquam unam ex compluribus aliis, non ut eam, quae summum ceterarum civitatum imperium obtineret. Nihilo tamen secius etiam Friedliebii [1]) sententia nobis displicet, ex qua illud ἐμφύλιον αἷμα de bello sociali, et quae v. 470 de feroci quodam homine ex Italia veniente (λυμήτης) praenuntiantur, de Sulla accipienda sint, sed haec omnia ex vatis ingenio, res futuras ex praesentibus praeteritisque concludentis, profecta esse nobis videntur. Ea enim, quae Friedliebius docet, ea de causa probare non possumus, quod, siquidem ea, quae antecedunt, vetustiora sunt [2]) hoc loco interpolationis causam non videmus, etsi, quid de feroci illo homine (v. 470) sentiam, me nescire confiteor ac paene contendere ausim, excidisse nonnulla, hunc versum abruptum sane nulloque vinculo cum antegressis sequentibusve cohaerentem, explicantia. Versus quidem, qui proxime sequuntur [3]), nostram de Italiae illa obtestatione sententiam firmare videntur, cum ipsas quoque Sardiniam Cyrnumque insulas in mare immersum iri vaticinentur, id quod usque ad nostram aetatem nondum evenit, pro loci autem natura a vate apte excogitari potuit, cum utraque insula medio in mari sita eiusmodi periculo semper obnoxia videretur. — Eiusmodi oracula complura postquam cecinit, quasi ne in his quidem carminibus commixtis ex diversissimorum temporum operibus suae aetatis vestigia nobis deesse voluerit poeta, tota haec oraculorum series significatione et quasi denuntiatione Carthaginis Corinthique evertendarum [4]) clauditur.

Hac ratione quaestionibus de hac libri tertii parte (v. 295—488) profligatis ordinem omnibus codicibus traditum tueri atque retinere posse nobis videmur inanesque sententias eorum coarguisse, qui vel totam hanc partem vel locos singulos ex hoc libro eiiciendos putarunt. Sed fortasse hoc cuipiam mirum videatur, quod pars prima huius

---

1) proleg. p. XXXIII; idem Hilgenfeldt p. 72.
2) vv. 476—77.
3) id quod ne Friedliebius quidem infitias it.
4) vv. 485—87.

libri (v. 97—295) ac tertia (v. 490 sqq.) ab ecclesiae patribus saepissime adhibitae sunt ad probanda ea, quae in scriptis suis docent, huius autem partis nusquam fere mentio fit. At qui quaeso usus illis afferri potuit e meracis urbium civitatumque perturbandarum, evertendarum, vastandarum vaticiniis, quibus nihil fere cum doctrina divina, nihil cum eis, quae de natura Dei vel de supremo generis humani iudicio deque ceteris id genus tradebant, commune esset? Itaque de hac huius libri parte satis nos disputasse rati, ad eam progrediamur, de qua nulla fere inter viros doctos mansit controversia, consentientes, eam ab eodem poeta, a quo partem primam (v. 97—295), compositam esse.

Ac nobis quidem partis huius nisi argumentum nihil fere exponendum erit, de summa totius omnibus viris doctis consentientibus, nisi quod hic illic de rebus minutioribus alii aliter iudicandum putarunt.

Post exordium simile eis, quae supra legimus, paucis versibus Sibylla Poenis, Cretae, Thraciae, Gog denique et Magog ceterisque quibusdam gentibus commenticiis nuntiat, adventuram esse saevam necessitatem a Deo impositam: tum tanquam se ipsa ut rem ad finem perducat admonens, solemni Sibyllae versiculo: v. 517 sqq.

Τί δὴ κατὰ μοῖραν ἕκαστον
Ἐξαυδῶ; πᾶσι (ν) γάρ, ὅσα χθόνα ναιετάουσιν,
Ὕψιστος δεινὴν ἐπιπέμψει ἔθνεσι πληγήν

ceteris gentibus relictis ad eos se convertit populos, quorum fata vatem illius aetatis eiusque, quam cognovimus, patriae atque fidei maxime tangere debebant, ad Graecos scilicet, qui post Alexandri Magni mortem totum fere inter se diviserant orbem, et ad Judaeos, unde vates ipse originem suam duxerat. Itaque partim res suis temporibus gestas respiciens, partim, quae postea sint eventura, ad prophetarum suorum doctrinam vel ad animi sui expectationem fingens haec fere praenuntiat:

Quando Graecos invadet gens quaedam maxime barbara (πολυβάρβαρον ἔθνος sc. Romanorum), illi acceptis magnis

cladibus hominum brutorumque caedes, bonorum omnium rapinas, suam ipsorum virtutem lugebunt, nullo auxilium ferente. Fugient centum, unus autem eos pessumdabit, quinque magnam manum fugabunt [1]), Graeci gravibus foedisque bellis alteri alteros lacerantes hostibus gaudia parabunt, dolores Graecis, adeo, ut tota eorum terra servitutis iugum subitura sit [2]). Sequentur tempora tristissima bellorum, morborum, famis, sterilitatis humi, quin etiam ignem caelitus terrae caelique creator mittet, ita, ut tertia demum pars generis humani illa mala effugiat [3]). — Haec omnia perpetietur Graecia, quia relicto Deo Magno in errores inciderat, nimis confisa ducibus suis vanisque numinibus per annos iam mille quingentos inde ab illo tempore, quo regnaverant atroces illi Graecorum reges, qui primi vanos deorum cultus docuerant [4]). Sed Dei Magni ira perculsi, ad eum sancte pieque colendum revertentur eoque optimo contra mala omnia praesidio utentur. Sed cum ipsius Dei voluntate inevitabile quoddam, ut ita dicam, fatum eis sit destinatum (κρατερὴ δ' ἐπικείσετ' ἀνάγκη [5]) non prius beatum illud laetumque hominum in unius verique Dei reverentia cultuque consentientium tempus adveniet, quam ipse olim voluerit.

Piorum autem hominum gens (i. e. Judaeorum), Dei legibus obediens pinguesque victimas ei immolans, beata habitabit in urbibus agrisque laetis. Illis Deus mentem tribuit sanam vacuamque a vanis ceterarum gentium erroribus, 591 sqq.

Ἀλλὰ μὲν ἀείρουσι πρὸς οὐρανὸν ὠλένας ἁγνὰς
Ὄρθριοι [6]) ἐξ εὐνῆς αἰεὶ χέρας ἁγνίζοντες

[1]) cf. Deuteron. 32. 30, unde complura Noster hausisse infra passim videbitur.

[2]) haec ex rerum eventu dicta videntur.

[3]) cf. Zach. 13, 8, saepius apud prophetas Judaeos.

[4]) Si Ptolemaeorum aetate haec scripta sunt, in antiquissimis Graeciae temporibus versatur poeta (Alex. a. l.)

[5]) v. 572.

[6]) Fortasse hoc loco prima in Aegypto Essenorum vel Therapeutarum similiumve vestigia indagari possunt. (cf hunc eorum usum

Ὕδατι, καὶ τιμῶσι Θεὸν τὸν ἀεὶ μεδέοντα (sic pro ἀεὶ μέγαν
ὄντα Clem. Alex.)
Ἀθάνατον, καὶ ἔπειτα γονεῖς, μετὰ δ' ἔξοχα πάντων
Ἀνθρώπων ὁσίης εὐνῆς μεμνημένοι εἰσίν·
Κοὐδὲ πρὸς ἀρσενικοὺς παῖδας μίγνυνται ἀνάγνως,
Ὅσσα τε Φοίνικες, (τ') Αἰγύπτιοι [1]) ἠδὲ Λατῖνοι
Ἑλλάς τ' εὐρύχορος καὶ ἄλλων ἔθνεα πολλά,
Περσῶν καὶ Γαλατῶν, πάσης δ' (τ') Ἀσίης, παραβάντες
Ἀθανάτοιο Θεοῦ ἁγνὸν νόμον, ὃν παρέβησαν.

Habes his in versibus eos mores descriptos, quibus maxime Judaeorum gens a ceteris differebat, triplicem scilicet illam aere perenniorem ceronam summae ergo Deum verecundiae, erga parentes amoris, morumque castitatis. — Quae virtutes a gentibus neglectae causae eis sunt omne genus malorum, donec cognitis erroribus deorum suorum simulacra tristi quodam cum pudore in terrae viscera condant aetate septimi illius regis Aegyptiaci, Graeco genere orti, qua, rege ipso etiamtum invene[2]), ex Asia rex quidam magnus aquilae instar multis equestribus pedestribusque copiis magnam Aegypto cladem afferet magnaque cum praeda in terram suam redibit. Tum in Dei honorem genua flectent homines abiectis omnibus simulacris, beatamque ab illo accipient vitam tamquam morum bonorum praemium ita, ut uberrimos ex agris fertilissimis percepturi sint fructus. Quam vitam prosperam ut facilius mortales adipiscantur, adhortatur eos poeta, ut Deum sacrificiis placent supplicationibusque, amore justitiae atque hominum, quippe quae potissimum Deus a mortalibus flagitet, caveantque iram

---

cum nomine טובלי שחר-Hemerobaptistae) cf. Graetz, Gesch. Jud. III, ed. II, p. 92.

[1]) rectius fortasse κἀγύπτιοι.

[2]) adiectivum νέος minime nos poetam in ea tempora referre cogit, quibus rex ille adhuc puer erat; definitur enim epitheto illo tempus, quo Antiochus Magnus Aegyptum aggressus sit. — Fortasse autem νέος hoc loco idem significat, quod saepius in libris sibyllinis, ut 1, 281 νέῃ γενέθλῃ i. e. rex novus mortuo eo qui illum antegressus erat.

Dei, quando hominibus pestium finis adventurus sit et rex regem domiturus (iam supra poeta certamina de principatu in Syria orta denotaverat), populus populum pessumdaturus (ne Romanorum quidem potentia in dies crescens supra omissa erat), dominique populos suos (an hoc de Physconis regno atrocissimo?), et barbara quaedam dominatio (Romani sc. cf. supra βαρβαροφώνη ἀρχή et πολυβάρβαρον ἔθνος) universam Graeciam devastatura insatiabili ducta avaritia. — Quae deinde sequitur variarum calamitatum descriptio (v. 644—51) proxime accedit ad Ezechielis prophetae c. 39, quem a poeta nostra, ut ceteros etiam auctores sanctos, saepius adhibitum supra commemoravimus.

Tum[1]) ἀπ ἠελίου (a sole oriente i. e. e Judaeis Asiaticis vel, ut supra de Cyro ἀπ' οὐρανοῦ, οὐρανόθεν v. 286) Deus regem quendam mittet ferro ac foederibus finem facturum omnibus in hac terra bellis, non sua sponte, sed obsequentem Dei iussis; felicissima deinde Dei cultoribus aetas, quam frustra laedere studebunt reges invidiosi, agmina sua infesti contra hanc terram ducentes templumque, Magni Dei eversuri castra circa templum obsidionis causa ponentes. Sed Dei voce iudicioque peribunt turpissime, perterriti mirabilissimis ominibus prodigiisque gladiorum igneorum de caelo delapsorum, terrae motuum, inundationum, aliorumque his similium. — Quibus omnibus ex rebus agnoscent Deum verum talia iudicia exercentem.

Filii deinde[2]) Magni Dei circa templum omnes otiosi beatique degent sub tutissimo Dei sui praesidio, qui ex tota omnium rerum natura fructus laetissimos eis impertiet. Illi carmine divino (v. 716) homines evocabunt, ut secum magnum Deum adorent, ac sine periculo cladis gentium reliquias, arma, scuta, galeas, tela tot colligent, ut eis ad ignem lignando in silvis opus non foret. — Sequitur recens Graecorum adhortatio, ut Deum verentes Judaeos in patriam

---

[1]) v. 651 sqq.
[2]) 702 sqq.

reverti patiantur ad communem hostium defensionem[1]), quod ni faciant, calamitates magnas vates eis puaenuntiat, occultas vetere quodam, etiam apud Vergilium[1]) nobis obvio, oraculo de Camerina, Siciliae urbe, quo incolae paludem quandam urbi adiacentem exsiccare vetiti esse dicebantur (μὴ κίνει Καμαρίναν· ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων v. 736) et vetere illa in libris sanctis usurpata pardi figura, quem irritare vetantur Graeci, ne mala in se contrahaut (πάρδαλιν ἐκ κοίτης, μή τοι κακὸν ἀντιβολήσῃς v. 737); adiuvantes potius Dei gentem participes fiant prosperitatis, quae Dei cultu ad homines omnes redundet. Nam cum haec omnia ad finem perducta fuerint, laetissima atque omnibus rebus abundantia fore tempora, quibus pacem agentes omnes populi, reges inter se artissimo amicitiae vinculo coniuncti uni legi divinae unique fidei operam daturi sint. Abiiciant igitur quam celerrime simulacra sua, desistant a moribus illis incastis adulteriorum puerosque amandi, quibus Deus Magnus maxime irascatur.[2])

Describitur deinde usque ad finem verbis copiosissimis ornatissimisque felicitas illius regni, quod sublatis mortalium erroribus instituturus sit idem Deus, qui[3]) quondam piis leges scripserit vitamque beatissimam promiserit: undique thus

---

[1]) Ad huuc locum (v, 734) explicandum neque opus est Bleekii coniectura (στεῖλαι μὴ pro στεῖλον δὴ (l. l. I, p. 234), neque Ewaldi historia ad hunc usum conficta (l. l. p. 21, 22); sed ne cum Gfroerero quidem v. 735 tolli necesse est, quamquam idem Lückio (l. l. p. 75, nota) probatur. Fefellit enim viros doctos structura sensusque versuum 738, 39;

'Αλλ' ἀπέχου, μηδ' ἴσχ' ὑπερήφανον ἐν στήθεσσι
Θυμὸν ὑπερφιαλὸν, στείλας πρὸς ἀγῶνα κραταιόν,

ubi non στέλλειν Graecis vitio tribuitur, sed quod non στέλλουσι; admonet enim vates, ut exercitum ad certamen instruentes a superbia sése abstineant, id quód hoc loco primum exprimitur.

[2]) v. 762 sqq. Φεύγετε λατρείας ἀδίκους· τῷ ζῶντι λάτρευε.
Μοιχείαν πεφύλαξο, καὶ ἄκριτον ἄρσενος εὐνήν,
Τὴν δ' ἰδίαν γενεὰν παίδων τρέφε, μηδὲ φονήσῃς·
Τοῖσδε γὰρ ἀθάνατος κεχολώσεται, ὅς κεν ἁμάρτῃ.

[3]) Pro ὃ ππότ' ἔδωκε (v. 767) sententiarum ratione ὅς ποτε δῶκε flagitatur (idem suadet Hilgenfeldt).

muneraque ad Dei Magni aedem collatum iri, neque fore ullam domum mortalibus suaviorem quam aedem illam a Deo fidelibus ad colendum traditam

v. 775 Νῆον[1]) γὰρ καλέουσι βροτοὶ μεγάλοιο Θεοῖο.

Ad quam vias omnes, etsi montibus aquisque abundantes, tamen faciles diebus illis daturas esse aditus. Huc adhortatione ad Sion filiam addita, quae paene versio metrica capitis illius Jesaiani (VI) de futura omnium mortalium felicitate vocari potest, ut gaudeat laeteturque (primos hos versus cf. Zach. 2, 10), signa advenientis aetatis illius beatae describuntur, ut gladii in caelo appariturі, pulveris pluvia, solis meridiei tempore defectio, lunae pristinus fulgor restitutus[2]), certamina pugnaeque in nubibus visae, quae omnia omina tanquam fore finis belli illius antiquissimis temporibus inter homines orti et initio huius carminis descripti.

v. 806. Τοῦτο τέλος πολέμοιο τελεῖ Θεὸς οὐρανὸν οἰκῶν.
Ἀλλὰ χρὴ πάντας θύειν μεγάλῳ βασιλῆϊ.

Quibus versibus aptissime auctor eo revertitur, unde inchoans carmen suum, exierat, ad cultum scilicet veri Dei, de quo in prooemio illo plura cecinerat, et ad mortalium bella dissidiaque, quorum originem initio operis tractaverat.

Rebus, quae hoc carmine continentur, hac ratione expositis, vix quemquam dubitaturum censeo, quin auctor huius libri fuerit homo Judaeus, in Aegypto circa annum a. Ch. n. 140 c. florens, totumque hoc carmen unum quasi

---

[1]) De sensu, quem Lact. (IV, 6), August. (adv. haeres. c. 3) in hoc loco inesse putarunt, re ipsa in aprico posita non est disputandum. Neque vero cum ceteris praeter Alexandrum viris doctis v. 775 spurium censere velimns, postquam Alexander levi sane medela e codicum scriptura, depravata ab antiquissimis Christianis, id, quod sensus flagitat, felicissime restituit; pro ΥΙΟΝ γὰρ καλέουσι κτλ, quod si patres christiani unquam legissent, quin saepissime hunc versum ad verbum adhibituri fuissent nullus dubito, praesertim cum in versu antecedente significationem quandam translatam inesse voluerint.

[1]) Fabula veteribus Judaeis usitata. cf. Thalm. Babyl. Schebuoth 9 a; Beresch. rabb.

efficere corpus, ab auctore primario, etsi locis singulis minus conexum, tamen arte satis contextum, ut frustra viri docti hic illic versus nonnullos reiicere conati sint. — Restat, ut paucis de eis disputemus, quae versibus huius carminis ultimis (808—28) Sibylla ipsa de origine consilioque suo narrat. De quibus quidem plerique interpretes ita disseruerunt, ut totam horum versuum seriem in partes dividerent duas, quarum alteram (v. 808—17) alii (Bleek [1]), Lücke [2]) in seculum detruserunt p. Chr. n. tertium, alii Friedl.[3]), Alexand.[4]), Hilgenf.[5]) pro legitimo totius operis epilogo habent: alteram omnes praeter Ewaldum recentius confictam (ut Bleek, Lücke voluerunt, V. p. Chr. n. seculo ab auctore librorum I et II, ut Friedl., exeunte seculo altero, Hilgenfeldtio omnino dubitante). Quarum sententiarum suas quisque affert causas, nimis tamen invalidas atque infirmas, quam quae nos a tradita codicum scriptura discedere cogant. Atque ei quidem, qui partem priorem nostrae Sibyllae abrogare student, ab Hilgenfeldtio [6]) satis refutati sunt. Quin etiam ex propria huius carminis natura ea, quae in hoc parte leguntur, addi debuisse, supra luculenter [7]) nos probasse putamus. Nam cum poetam veterum Sibyllarum, praecipue Erythraeae, oracula in carmen suum intexuisse cognoverimus, sequitur, poetam, nisi cum illa confundi voluisset, de origine sua quaedam praedicare debuisse, id quod aperte in hac parte, quae Lactantio iam innotuit [8]), ita efficit, ut Sibylla, Dei propheta magna, Babylone se in Graeciam iussu Dei esse profectam narret, ut calamitates futuras praenunciaret; neque vero Graecos sibi, falso Erythraeae nomine vocitatae, fidem esse habituros, antequam

1) l. l. I p. 239, 240.
2) l. l. p. 75.
3) l. l. prolegg. p. 38 sqq.
4) vol. I ad h. l.; vol. II. p. 121; 375.
5) l. l, p. 79 sqq.
6) p. 79, 80.
7) p. 41, 42 c. adnot.
8) div. inst. I, 6; IV, 15.

fata vera fuisse vaticinia sua convicerint[1]). — Aeque ad sensum iam semel significatum non solum apta, sed etiam necessaria videtur pars altera (818—29). Adhuc enim Sibylla cuias non esset indicaverat, patriam autem patremque addere ut praetermitteret, vetere illo more singulas Sibyllas Deis patribus tribuendi fieri non poterat, siquidem hominum fidem sibi conciliare poeta unquam voluit. Quare ut Sibyllae quae dicebantur ethnicae Apollinis, Neptuni, Glauci filiae nominari solebant[2]), ita Judaea a Judaeo quodam, ut ita dicam, heroe originem suam ducere debebat. Quid igitur aptius erat, cum ipsum carmen a Noemi filiis[3]) generis humani fata incepisset, quam quod se ipsam Sibylla Noemi nurum appellaret. Minime hoc generis sui indicium repugnat ei, quod supra (808, 9) professa est, se Babylone in Graeciam immigrasse. Sibyllas enim aetate supra modum humanum diuturna gaudere vetus est opinio. Rectius fortasse Lactantius loco supra laudato, ubi hos versus commemorat, Sibyllam Babylone „profectam“, non „ortam“ appellaturus fuisset. Sed quomodo inde Alexander colligere possit, illum alterum huius epilogi partem nosse, non nosse alteram, mihi quidem non liquet. Unde enim scit, quo loco nostri libri Sibylla Noemi sedem statuisse voluerit? — Neque vero patrum testimonia de aetate Sibyllae, quae Bleek[4]), Friedl.[5]) advocarunt, ex quibus nulla Sibylla Mosem

---

1) Post v. 810 recte in Betuleii et Pithoei codicibus ad marg. scriptum fuisse videtur: λείπουσι δύο στίχοι, item in cod. A. duorum versuum intervallum relictum, eoque magis miror, editores lacunam hoc loco statuisse nullam. Deest enim praedicatum enuntiati illius, quod incipit a verbis Ταῦτά σοι: Versus hi nunc leguntur:

> Ταῦτά σοι Ἀσσυρίης Βαβυλώνια τείχεα μακρά
> Οἰστρομανὴς προλιποῦσα, ἐς Ἑλλάδα πεμπόμενον πῦρ
> Πᾶσι προφητεύουσα Θεοῦ μηνίματα θνητοῖς,
> Ὥστε προφητεῦσαί με βροτοῖς αἰνίγματα θεῖα.

2) Diligentissime de omnibus fere rebus ad Sibyllas pertinentes disseruit Alexandre vol. II., excursu I; quem de his quoque conferas.

3) cf. p. 18 nott.

4) l. l. p. 239, 240.

5) l. l. prolegg. p. 38.

anteierit, nos offendunt. At nostra Sibylla in carmine suo [1]) etiam de Mose vaticinia fuderat, cur non eodem patrum testimonio ducti viri docti carmen nostrum illorum temporibus recentius statuerunt? Nobis quidem haec testimonia ad communem quandam veterum Judaeorum opinionem esse referenda videntur, qua omnium longe vetustissima scripta illa habebantur, quae Mosi tribui solebant. — Parum igitur nobis illi persuaserunt, ut hac in re a codicum lectione discedamus, immo nos eam maxime necessariam ad universam huius carminis naturam esse cognovimus, tantumque abest, ut pars illa a plerisque viris doctis tentata repugnantia contineat, ut, reiecta vel mutata ea, deesse aliquid facile intelligas.

Sed hoc recte putaverunt vv. dd., hoc carmen eodem ordine, quo a nobis tractatum est (prooemium Theophileum, III., 97 — extr.) a Lactantio olim ceterisque patribus lectum fuisse ab eoque carmen Erythraeum nominatum. Quod autem idem carmen Apollodoro etiam Erythraeo et Varroni notum fuisse contendunt, falli videntur: id enim eos fugit, expresse testimonia illa de cive quadam Erythraea loqui, cum nostra iniuste se aliquando Erythraeam vocatum iri vaticinatur. Verisimilius igitur videtur, scriptores illos eandem Sibyllam legisse, qua Nostrum prae ceteris usum fuisse supra [2]) demonstravimus.

II. De carminis, quod vocabatur, Erythraei in novam formam redacti vestigiis I. 3, 8—92 [3]).

Carmen tam sublime tantique ambitus, quantum habet illud, quod modo tractavimus, si lectores non invenisset permultos, mirum sane futurum fuisset. Et sunt quidem veterum testimonia satis idonea, quibus elucet primis et ante et post Christum natum seculis carmina sibyllina la-

---

1) v. 248 sqq.

2) p. 41, 42 c. not.

3) Libri tertii vv. 1—7 eadem manu profectos esse, qua libri II

tissime divulgata per multas Magnae Graeciae urbes insulasque in mari Jonio sitas fuisse adeo, ut Romani libros suos sibyllinos exustos incendio quodam Capitolino anno a. U. 671 L. Scipione C. Norbano coss, restituere posse sibi confiderent oraculis undique collectis; cuius rei testes prae ceteris afferimus Dion. Hal. (Antiq. 4, 62): οἱ δὲ νῦν ὄντες (χρησμοὶ) ἐκ πολλῶν εἰσὶ συμφορητοὶ τόπων, οἱ μὲν ἐκ τῶν ἐν Ιταλίᾳ πόλεων κομισθέντες, οἱ δ' ἐξ 'Ερυθρῶν τῶν ἐν 'Ασίᾳ, κατὰ δόγμα βουλῆς τριῶν ἀποσταλέντων πρεσβευτῶν ἐπὶ τὴν ἀντιγραφήν· οἱ δ' ἐξ ἄλλων πόλεων καὶ παρ' ἀνδρῶν ἰδιωτῶν μεταγραφέντες, et Tacit. annal. 6, 12: Quod a maioribus quoque decretum erat post exustum (sociali bello [1]) Capitolium quaesitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias carminibus Sibyllae, una seu plures, fuere, datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere." Vides magnum fuisse numerum eorum, qui oracula venditabant, de quorum argumentis quoque aliquid suspicari licet, si ea, quae Vergilius in ecloga sua (IV). ad Sibyllae Cumaeae exemplar conficta profert, iure haud absimilia iudicantur eis, quae in nostro libro tertio leguntur. Sed si liber hic in hominum manibus diu versatus est, vix diu fidem legentium sibi conciliaverit, cum ea, quae poeta proxime adesse praenuntiaverat, temporum eventibus refelli atque redargui debuerint. Sic refutata spe auctoris libri tertii, appropinquaturum regem servatoremque mundi regnante Aegyptiorum rege septimo, eo, quod octavus mortuum subsecutus erat, quivis Sibyllae amator recentiorum quoque temporum signa primariis adii-

---

finem praecipue e similitudine, quae intercedit inter clausulam illam (2, v. 347). Ἧδε δ' ἐγὼ λίτομαί σε βαιόν, παῦσαί με ἀοιδῆς et l. III, v. 2:

λίτομαι, παναληθέα φημίξασαν

Παῦσον βαιόν με· κέκμηκα γὰρ ἔνδοθι ἦτορ, concludi potest.

Rei metricae loboranti in edd. omnibus facile mederi possunt lectiones L. R. Παῦσον βαιὸν μὴ (etsi sensu carentes) et F μ'ἤ. Scriptum fuit fortasse olim: Παῦσον βαιόν μ'ἤ κέκμηκα κτλ, ut habet F., vel ἤ κέκμηκε κτλ.

[1]) haec verba recte reiecit Nipperdey in ed. sua.

cere, siquidem libri sui spem immodice fallacem videri nolebat, coactus erat. Haec fortasse ceterarum plearumque Sibyllarum causa extitit, inde difficultas illa, cuius testes veteres mentionem faciunt, genuina a spuriis dignoscendi, eadem quoque causa orti sunt, opinor, versus, qui nunc in limine nostri libri tertii leguntur et olim eum, qui primus collectionem nostram instituit, ita decipere potuerunt, ut abiecto exordio illo genuino, quod olim in fronte huius carminis positum fuisse supra [1]) cognovimus, hos versus in illius locum substitueret. Ad quod eo facilius Sibyllarum ille antea confusarurum atque ubique dispersarum corpus quasi unum formaturus commoveri potuit similitudine exordii illius Theophilei cum versibus 27 primis huius carminis tanta, ut nullum fere non modo rerum, sed ne verborum quidem inter ea discrimen statuas, et nobis quoque apertum sit, eum, qui hos versus conscripsit, exordium illud non solum ob oculos habuisse, sed etiam ad verbum fere omnia, quae ibi fusius de Deo vero erant prolata, iterantem redintegrasse [2]), nisi quod ea, quae ibi longiora erant, in opere suo breviter strictimque tractare studuerit novique nihil addere ausus sit nisi nugas illas versuum 24—27, ubi primum hominem de quattuor regionum (Ἀντολίην τε δύσιν τε μεσημβρίην τε καὶ ἄρκτον) literis initialibus nomen suum Ἄδαμ accepisse somniat, et in versibus 19 et 20, ubi eis, quae exordium illud de Deo, nulli mortalium viso, continet, haec addit

Ἥτις χωρήσει κἂν οὔνομα μοῦνον ἀκοῦσαι
Οὐρανίου μεγάλοιο Θεοῦ κόσμον κρατέοντος,

id quod ad anxiam illam atque in dies crescentem Judaeorum verecundiam religionemque, quae ori profano ne appellare quidem sanctum Dei nomen permisit, referendum est — Sed qua de causa Noster carminis quod vulgo vocatur

---

1) p. 17—33.

2) Egregie de hac similitudine, inter exordium et hoc versus intercedente, disputavit Bleekius, l. l. I p. 198 sqq.

Erythraei pristinam formam mutandam duxerit, ex eis, quae sequuntur hoc Dei elogium, facile intellegi potest. Castigatis enim perversis sordidisque moribus hominum ψευδῶν, διγλώσσων ἀνθρώπων καὶ κακοηθῶν [1]), in quibus ne viduae quidem mulieres castam agere solerent vitam (v. 44) [2]), domini sancti regnum adventurum praenuntiat (v. 49), quando Roma Aegypto quoque imperatura sit. Tum Latinorum iras gravissimas fore tribus hominibus Romam quoque crudelissime vastantibus (51, 52). Orbis imperium tum penes mulierem quandam fore (v. 75), qua vidua dominante et aurum argentumque in mare immergente variis prodigiis mundi finem indicatum iri (v. 77—81). —

Vides poetam nihil antiquius habuisse, quam ut tempus quoddam, diversum ab eo, quod in libro tertio legisse eum vidimus, mundi totius ultimum poneret: quanam alia de causa nisi quia rerum eventus ea, quae in carmine illo edita erant, vaticinia elusisse atque vana reddidisse intellexit? Quaeritur autem de recentiore hoc tempore, ab hoc poeta constituto, num cognoscere illud et inde poetae aetatem possimus. Ac quamquam Aegyptum Romanis subiectam ex v. 46 comperimus, id tamen haud ita multo ante poetae aetatem factum esse verba ipsa : Ἀλλ' ὁπόταν Ῥώμη καὶ Αἰγύπτου βασιλεύσῃ docent. In idem tempus revocamur vaticinio de tribus viris Romam vastantibus, quod num in alios melius, quam in tres viros illos reipublicae constituendae [3]) quadret, dubito, quippe qui optimum quemque civem aut interficere aut pellere studuerint. Neque

---

[1]) sic pro tradita codicum scriptura legendum esse censeo re metrica suadente.

[2]) cur in perstringendis gentilium moribus viduae praecipue increpentur, ex sequentibus elucebit.

[3]) Vix nobis Alexander persuadere possit versum 52 τρεῖς Ῥώμην οἰκτρῇ μοίρῃ καταδηλήσονται de tribus Antoninis accipiendum esse, qua ex una re satis iam efficitur, quam infirma ac debilis sit opinio eius de huius carminis aetate. Minime in hunc locum quadrant, quae ex l. 5, 51 affert eius rei testimonia.

ab eo tempore abhorret, quod de mulieris cuiusdam orbis universi principatu canitur, si Antonii Cleopatrae illecebris capti meminimus. Pugnae porro Actiacae mentionem in oraculo eo inesse suspiceris, cum mulierem istam omnes auri argentique opes in mare esse immersuram praedicat poeta (v. 77 sqq.)

Sed de aetate haec: de qua certius aliquid hoc loco constituere non est in animo, quia in continuando hoc opere quaedam ad eam certioribus finibus circumscribendam aliquid conferre videbuntur. Neque vero de fide auctoris fusius disputare opus est post exordium illud unum Deum summis laudibus celebrans atque tollens, increpans atque illudens deos falsos. De civitate autem aeque ambigi non potest, quoniam tempora sua poeta ad calculos refert ubique Aegyptiacos, ut in aprico sit, carmen hoc certe post cladem Actiacam conscriptum esse a Judaeo quodam Alexandrino eo consilio, ut, quidquid carmini, quod Erythraeum vocabatur, honoris detractum putavit, novis ei adiectis vaticiniis resarciret. Haec quoque fortasse causa est, cur post versus 61 et 62 excidisse quaedam putaverint nonnulli. Exsecutus enim consilium suum modo commemoratum, versiculo illo Sibyllae usitato:

'Ατὰρ τὰ ἕκαστ' ἀγορεύσω
Ὅσσαις ἐν πόλεσιν μέροπες κακότητα φέρουσιν

ad singularum urbium et mores et calamitates facile transire potuit, qualia ea in libro tertio descripta habemus.

Antequam hoc quoque carmen alterum, vel potius renovatum ac refectum carmen vetustissimum, relinquamus, de theologia Sibyllae, quatenus ad orbis finem spectet, pauca observare liceat. Olim enim in libro tertio[1]) antecedere vidimus beatam illam post iudicium supremum aetatem tempora, quibus reges ethnici infestos contra gentem piam gererent animos, haec tamen omnia caliginosa necdum uno nomine vel una imagine comprehensa: cum is, quem nunc legimus, poeta clariorem de his quoque rebus cognitionem

---

1) 3, 652—90.

perceptam habeat, perniciosissimum quendam acerbissimumque hostem, qui non homines solum, sed totam etiam omnium rerum naturam variis artibus allecturus sit ad communem omnium perniciem, nomine Βελίαρ vel Βελίαλ[1]) appellans. Idque eo admirabilius videtur, quod cum apud veteres Judaeos eadem fere nobis occurrat rerum futurarum descriptio, nullo tamen hostis nomine unquam addito, tamen hoc cognomen illius aetatis hominibus tam solemne videtur fuisse, ut et Noster hoc nomen tanquam omnibus notum hominis ab omnibus expectati commemoret, et eodem modo in Christianorum libris divinis usurpetur, quasi inter omnes de huius vocis significatione consensus sit[2]). Itaque hoc Belialis cognomen, etsi, quantum scimus, apud Judaeos nunquam revertitur, tamen vulgatum fuisse antiquissimis temporibus inde colligi potest, quod iam Christianorum veterrimos de eo tanquam omnibus cognito disputantes legimus.

Sed alia quoque in loco eo, quo de Belialis adventu agitur, inest difficultas adeo gravis, ut nos paene ad Bleekii sententiam accedere coegerit, qui versus 61 inde a voce ὁπόταν usque ad v. 63 ἐκ δὲ Σεβαστηνῶν ἥξει pro spuriis atque a falsario aliquo cum fraude inductis habet[3]) eam ob causam, quod non intellegit, quid sibi velit Belialis persona ἐκ Σεβαστηνῶν ventura. Quem locum quomodo Friedliebius[4]), quippe qui hoc carmen circa annum 42 a. Chr. n. compositum esse censeat, ita explicet, ut „ἐκ Σεβαστηνῶν“ idem sit atque „ex imperatorum Romanorum“ numero plane me nescire confiteor. Nam praeterquam quod σεβαστηνὸς pro σεβαστὸς

---

[1]) v. 64, 73. Variatur enim sriptura huius vocis, sumtae e sermone hebraico, compositae e בַּל i. e. אַיִן »non« et יַעַל „utilem esse, conducere proficere“: „homo nequam“, quam significationem in Testamento Vetere saepius habet.

[2]) Pauli ad Cor. epist. 2, 6, 15 τίς δὲ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς Βελίαλ. cf. orac. sib. II, 167.

[3]) l. l. I p. 202 sqq.

[4]) prolegg. XXVI. – cf. Alex, in curis posterioribus ad ed suam.

contra omnem usum graecum dictum foret[1]), fugit virum doctum, Imperatores Romanos Augustorum nomine non ante Octavianum Augustum ornatos fuisse (a. Chr. 27).

Magis mihi arrideret Frankelii sententia[2]), qua poeta Judaeus infestissimum Judaeorum hostem propter inveteratas illas Judaeorum Samaritanorumque simultates irasque vehementissimas venturum praenuntiaverit Samaria, quae a Romanorum imperatore Augusto Σεβαστῆς nomen acceperit, nisi ipse vir doctus hoc carmen compositum putaret antequam Octavianus Caesar hoc cognomine apellatus erat. At nobis e rerum scriptoribus hoc compertum est, mortuis Antonio et Cleopatra Octavianum hanc urbem Herodi Magno restituisse[3]), qui eam „in honorem Augusti Graeco sermone vocaverit Augustam“ (teste Hieronymo in Obadj. 1.), ibique templum Augusto dedicaverit elegantissime magnificentissimeque aedificatum[4]). Quid igitur adhuc miramur, quod poeta, sanctissimo unius verique Dei amore incensus, illud Herodis facinus turpissimum pessimumque iudicat nec Belialem ipsum maiora contendit perpetrare posse facinora, quam Herodes commiserat homine in Deorum falsorum numero reposito. Herodes igitur subintellegendus est in descriptione illa Belialis ἐκ Σεβαστηνῶν venturi, ea scilicet urbe, quae turpissimi fuerit testis flagitii a Beliale illo commissi.

Quae cum ita sint, recentioris etiam aetatis signum hoc loco deprehendimus, quam sunt ea, in quibus supra constitimus, neque iam versamur in pugna actiaca (a. Chr. 31), sed eo anno, quo Herodes Samariae nomen mutavit eamque

---

1) hoc etiam ad refellenda ea, quae ceteri viri docti de Imperatoribus Romanis cogitaverunt, valet.

2) Monatschr. p. 261.

3) cf. Jos. ant. 15, 7, 3; B. J. 1, 20, 3.

4) cf. Jos. ant. 15, 8, 5; B. J. 1, 21, 2. — cf. Raumer, Palaestina, ed. II, p. 158; Robinson, Palaestina, l. 3, p. 375; Schwarz, Das heilige Land p. 117; Munk, Palestine p. 550; Graetz, Geschichte der Juden, 3 p. 185.

variis rebus magnificis ornavit, i. e. anno circiter 25 a. Chr. n., quo etiam hoc carmen conscriptum esse putamus.

III. De sibyllinorum libro quinto[1]).

„Ac ne quid verum dissimulemus, iudaicam non minus indolem, quam doctrinam in hoc libro deprehendere nobis videmur: caecam nempe veteris traditionis seu verae seu falsae pertinaciam: et erga patriam quidem ac patrias religiones invictam fidem, plus vero fanatici affectus, quam sincerae pietatis; nihil quod, ut in ceteris libris, animi vere christiani sanctitatem spiret. Denique videtur hic liber nihil in se habere, quo pia fraus, sicut in ceteris libris, excusetur; sed vel odii adversus Romanos explendi causa, vel, quod turpius et quod magis remur, scriptus est lucri cupidine et consilio quodam mercatorio, si possint istis Judaeorum laudibus istisque adversus Romanos conviciis, Judaeorum ipsorum aut Christianorum iudaizantium mentes allici atque ad emendum librum induci.“

Istam quam Alexander[2]) profert argumentationem, ut auctorem huius libri efficiat fuisse Christianum Judaeae originis, quem non plane excutere potuisse gentis suae vitia iudex ille alias iustissimus gravi quodam cum maerore confitetur, ideo nostrae de hoc carmine disputationi praemisi-

---

1) Librum quartum Friedliebius frustra auctori Judaeo tribuere studet: parum enim mihi quidem persuadebit v. d. Judaeum vix decem annis post templi sancti excidium ita tranquille de his rebus agere potuisse. Praeterea hi potissimum versus aperte significant auctorem christianum:

v, 27. Οἳ νηοὺς μὲν ἅπαντας ἀπαρνήσονται ἰδόντες
Καὶ βωμούς, εἰκαῖα λίθων ἀφιδρύματα κωφῶν,
Αἵμασιν ἐμψύχων μεμιασμένα καὶ θυσίαισι
Τετραπόδων· βλέψουσι δ'ἑνὸς Θεοῦ εἰς μέγα κῦδος.
Οὔτε φόνον ῥέξαντες ἀτάσθαλον, οὔτε κλοπαῖον
Κέρδος ἄπειρον ἑλόντες κτλ usque ad v. 37, cf. quae de hac inter Judaeos Christianosque differentia disputavimus supra p. 6 sqq.

2) l. l. vol. II p. 352 sqq.

mus, quia inde maxime artis criticae libros sibyllinos spectantis debilitatem ostendi posse arbitrati sumus, cum ipse Alexander, quippe quem virum et doctum et satis sagacem secundum post Bleekium in hoc studiorum genere obtinere locum negare nemo possit, non recuset, quin librum, in quo christiana vestigia nonnulla invenisse sibi videtur, auctori assignet Judaeo, quia in libro illo „pertinaciam iudaicam“, „affectum fanaticum“ hominem christianum minime decentem cognovisse sese censeat et quia condendi universi carminis causam non aliam invenerit, quam tetram illam iudaicam „lucri cupidinem et quoddam mercatorium consilium“.

Ac nos quidem, quo istud artis criticae factitandae genus e scientiarum sacrario removeamus, non habemus: id tamen speramus, nostrum de hac re iudicium firmioribus fortasse fultum fundamentis iudices esse adepturum non aequiores, sed plane diversos, qui rem ipsam spectantes sine ira et studio singula huius carminis indicia nobiscum examinent, nobiscum istorum argumentorum, quasi nunquam pronuntiatorum, nullam habeant rationem, eaque ut ultro corruentia omnino reticeant.

Sed ne id quidem a nobis impetrare potuimus, ut eis, quae docent ceteri nostrae aetatis viri docti, qui in explicando hoc sibyllinorum libro operam aliquam collocarunt, plane assentiremur. Plerique enim ac fere omnes sine idonea, opinor, causa hoc carmen aut in complures partes a poetis partim aequalibus partim variis aetatibus florentibus compositas ac sine ulla ordinis recti lege ac vinculo in unum contaminatas dilacerarunt. Similiter de huius carminis aetate interpretum sententiae variantur adeo, ut eodem iure ad seculum ante Christum alterum regressi atque post Christum alterum progressi esse viri docti videantur, eodem dico iure, quia, opinor, nullo. Inducti esse videntur in hos errorum tam variorum fluctus a Bleekio, a quo, etsi eum in hoc literarum genere plerumque ducem optimum maximeque idoneum sequi solemus, tamen, ut rectum de hoc carmine feramus iudicium, discedendum esse censeo. Ut enim de vetustis illis, quae plerisque carminibus

nostris intexta esse supra [1]) cognovimus, oraculis ethnicis taceamus, non minus quinque variorum temporum variorumque auctorum opera aetate Hadriani in unum corpus consarcinata nonnullis quoque postea pannis adiectis nostrum librum quintum efficere vult iudex [2]) ille alias sagacissimus.

At non Lactantium modo, sed Clementem etiam locos huius carminis diversissimos uni tribuere carmini, vir ille doctus negare non potest. Quam sententiam hic commemorasse sufficit, refellere eam in exponenda nostra de hoc carmine sententia, ubi facultas data erit, praestabit, eodem modo de ceteris, qui ad hunc librum accesserunt, viris doctis agemus, qui aut omnino Bleekium secuti sunt, ut Gfroerer [3]), Lückius [4]), aut, quamquam illius iudicis vestigia non anxie presserunt, auctoritate tamen commoti partes nonnullas totius carminis auctori duce illo abrogandas esse censuerunt, ut Friedliebius [5]), Ewaldus [6]).

Expositis his virorum doctorum controversiis, id quod nostri muneris est, satis efficitur. Primum enim probandum erit, ea, quae inde a seculo altero p. Chr. n. hoc libro nobis tradita sunt, uno tempore unoque ab auctore esse conscripta, tum, cui fidei atque religioni is auctor fuerit astrictus, erit inquirendum, deinde de aetate auctoris indicia, quot poterunt, certa firmaque afferenda erunt. —

---

1) supra p. 36, 40. sqq.

2) l. l. II p. 172—97.

3) l. l. p. 168 sqq.

4) l. l. p. 258. Wie der Zufall Blätter zusammenwehet, so verbindet der Sammler Fremdes und Eigenes, Altes und Neues in zufälliger Weise. Kurz, es ist die Zufallsordnung der sibyllinischen Bücher.

5) Friedl., qui etsi prolegg. p. XLVIII haec scripsit. »Das ganze Buch hat Einen Verfasser«, tamen p. XLVI, XLVIII vv. 115—178 cum Bleekio in primum p. Chr. seculum refert, vv. 260—85 Bleekium non recte anno a. Chr. 160 scriptos contendere demonstrat, vv. 370—73 interpolatos nescio quo tempore putat.

6) qui (l. l. p. 51 sqq.) vv. 52—530 reliquias esse putat carminis cuiusdam statim mortuo Vespasiano compositi, vv. autem 1—51 una cum ll. VI et VII anno 138 ab homine christiano conditos esse contendit (ibid. p. 67.)

Ac primum quidem, ut taceam de ipso veteris collectionis testimonio, quae nisi a prima origine eo ordine, quem nunc habemus, processisset, cur in hanc formam maxime redacta sit non video, etiam totius carminis ordo sententiarumque conexus tales apparent, ut vix ullus versus loco moveri sine vi possit.

Primos enim versus 51 vel 52, qui permultum ab interpretibus turbati sunt, arte cum sequentibus cohaerere Alexander[1]) et Friedliebius[2]) clare satis exposuerunt, aeque difficile esse ostendentes existimare, hos versus per se carmen unum efficere nullo cum eis, quae sequuntur, vinculo coniunctum, ac si censeas, eos olim in alius cuiusdam carminis initio locum suum obtinuisse. Quae ut accuratius examinentur, horum versuum argumentum brevibus adumbrari necesse est.

Praemisso exordio, quo Sibylla, quae infra (v. 53) Ἴσιδος γνωστὴν sese appellat, de luctuosis Latinorum temporibus canturam se esse promittit, qui oriundi ex prosapia Assaracidae illius, qui ignis Troiani[3]) vim sustinuerit, regnaturi sint post pessumdatos reges Aegyptios postque Pellanum illum civem, cui oriens omnis atque occidens subditus fuerit, quem tamen Babylon mortuum Philippo patri tradens mendacii redarguerit, cum immerito Jovis, immerito Ammonis filium se praedicaverit: versibus 12—50 series imperatorum Romanorum a Julio Caesare usque ad Hadrianum enumeratur ita, ut aenigmatis more, qua cuiusque imperatoris nomen incipit litera, eius numerus indicetur hoc fere modo:

v. 12. Ἔσται ἄναξ πρώτιστος, ὅστις δέκα δὶς κορυφώσει
Γράμματος ἀρχομένου i. e. litera K vocis Καῖσαρ —

v. 14 Ἕξει δ'ἐκ δεκάδος πρῶτον τύπον sc. literam I nominis „Julii," hunc sequetur: στοιχείων ὅστις λάχε γράμματος ἀρχήν

1) vol. II p. 349 sqq.

2) prolegg. p. XLVIII.

3) v. 9 pro Ὅσθ' ἕξει Τροίην, ὅστις πυρὸς ἔσχισεν ὁρμὴν partim ducibus Castalione et Opsopoeo (v. Alex. ad h. l.) ita legi maluerim:

Οὓς τέξει (sic), Τρωΐην ὅστις πυρὸς ἔσχισεν ὁρμήν.

i. e. A vocis Αὔγουστος, deinde (v. 21) ὅστε τριηκοσίων ἀριθμὸν κεραίην ἐπὶ πρώτην ἕξει, intellege T nominis Tiberii, καὶ ποταμοῦ φίλον οὔνομα i. e. Tiberis fluvii nomen imperatoris illius simile Eodem modo Gaius, Claudius, Nero (Galba, Otho, Vitellius non literis initialibus significantur, quia (τρεῖς δὲ μετ' αὐτὸν ἄνακτες ὑπ' ἀλλήλων ἀπολοῦνται v. 33) nemo eorum vere imperium assecutus esse videbatur), Vespasianus, Titus, Domitianus, Nerva, Traianus significantur et quid quisque potissimum gesserit strictim additur. In his Nero appellatur:

v. 29. Δεινὸς ὄφις, φυσῶν πόλεμον βαρὺν, ὅς ποτε, χεῖρας
Ἧς γενεῆς τανύσας, ὀλέσει

et v. 34. Ἰσάζων Θεῷ αὐτὸν, ἐλέγξει δ'οὔ μιν ἐόντα —

Vespasianus vocatur v. 36. „εὐσεβέων ὀλετήρ, Titus patri imperium extorsisse dicitur v. 39 παῖς κράτος ἐξαφελεῖ, Traianus non domi moriturus, sed loco quodam „Νεμείης ἄνθεος οὔνομ'" habente (v. 45), in urbe scilicet Selinunte: [1]) selino enim vel apio Nemeorum ludorum victores coronari solebant. Tum ad Hadrianum transiens poeta eius nominis apicem non significans, clare tamen indicans similitudine maris Hadriatici (τῷ δ'ἔσσεται οὔνομα πόντου v. 47) tanquam coram eo vaticinans eum laudibus egregiis [2]) tollit ipsumque compellat:

v. 49. Καὶ ἐπὶ σοὶ, πανάριστε, πανέξοχε, κυανοχαῖτα
Καὶ ἐπὶ σοῖσι κλάδοισι τάδ' ἔσσεται ἤματα πάντα·
Τρεῖς ἄρξουσιν, ὁ δὲ τρίτατος σφῶν ὀψὲ κρατήσει.

Jam ipso horum versuum argumento satis effici videtur, non solos per se scriptos, sed cum aliis quibusdam conexos eos fuisse, eoque magis miramur, viros doctos nonnullos de hac re dubitare, praesertim cum, quae in his canuntur, ea, quae sequuntur, indicare multis locis videantur. Et recte

---

1) cf. Alex. a. l.

2) Quo modo vel potius quo tempore Hadrianus Judaeorum laudibus si minus dignus, certe non admodum indignus videri potuerit, infra disputabitur.

quidem Alexander[1]) monuit, pro exigua carminis sic amputati mensura exordium istis versibus praemissum nimis longum esse: deinde nimis abrupte in v. 51 desinere vaticinium quasi abortivum, cum sequens pars libri a versu 52 incipiens exordio omnino careret. Praeterea ut hos versus cum sequentibus coniungamus, monemur transitu illo satis manifesto a prioribus ad sequentia parato solis iam de Hadriano versibus: καὶ ἐπί σοι κτλ τάδ' ἔσσεται. — Quo enim respiciant illi dies omnes, nisi ad ea quae mox canentur de fine mundi atque ultimis calamitatibus? Dixerit fortasse quispiam, haec eodem iure, quo in quinti, in omnium librorum sibyllinorum argumenta quadrare, cum omnes de diebus supremis agant. At iam in exordio supra adumbrato v. 1—9 libri quinti fere totius argumentum dilucide ita explicatur, ut Sibylla Aegyptia de Romanorum fatis canere sibi proposuerit, id quod praeter librum quintum vix ullus horum librorum profiteri iure possit[2]). Poro Neronis illa dira saevaque imago versuum 28—34 optime ea parat, quae infra saepius fusiore oratione tractantur de Nerone nondum mortuo in Asia latente, unde suo tempore ad communem totius orbis pestem perniciemque reversurus sit[3]).

Quibus rebus expositis vix ambigere posse quemquam puto, quin haec omnia initium sint eius carminis, qui nobis est liber quintus: restat, ut de fide poetae ac de aetate nonnulla disseramus. Ac fidem quidem Bleekius[4]) deprehendisse sibi visus est christianam in descriptione illa

---

1) l. l. p. 349.

2) Sibylla Aegyptiam se esse exordio significat, cum ante Romanos Aegyptios tantum et Alexandrum Magnum recenseat. Quodsi igitur Aegypto oriunda fuit, cur miremur, haec oracula totiens eius terrae rationem habere?

3) Habes hic denuo novum gradum excolendae illius Sibyllinae de supremo universi mundi hoste doctrinae quam incertam atque obscuram in libri tertii v. 652—90, clariorem magisque perspicuam in eiusdem libri v. 63, Belialis nomine indutam, inveneramus, ubi de Herode poeta cogitasse videbatur. cf. huius disp. c. II. extr.

4) l. l. II, p. 173.

Neronis, qui δεινὸς ὄφις quamquam ἄιστος (v. 33) tamen perniciosus omnibus foret et esset rediturus, se ipsum Deum praedicans (sc. ut Antichristus), qua in re eum mentitum esse Deus ipse ostensurus sit. Sed mihi quidem christiani nihil hoc loco apparet. Belialis enim personam regno beato bellum illaturam veteribus Judaeis innotuisse supra demonstravimus. Quid igitur mirum, siquidem testibus Tacito [1]), Suetonio [2]) inter gentiles quoque „non defuerunt, qui per longum tempus vernis aestivisque floribus tumulum eius ornarent, ac modo imagines praetextatas in rostris proferrent, modo edicta quasi viventis et brevi magno inimicorum malo reversuri," quod etiam Judaei suam de Beliale opinionem ad eundem Neronem referre conabantur, praesertim cum ille, quem Noster φυσῶντα πόλεμον βαρὺν nominat, primus contra gentem Judaeam bellum illud fatale molitus esset et sic quasi auctor eversi templi evasisset. Quam opinionem etsi non iustam eodem tamen Judaei, quo Christiani, iure amplecti potuerunt.

Eadem belli Judaici ratione Vespasianum εὐσεβέων ὀλετῆρα, Titum patris percussorem [3]) appellatum legimus (v. 36). Immo, si quando ex eis, quas hi versus continent, notis concludendum est, cum Judaeo magis, quam cum Christiano [4]) tibi rem esse fatearis. Nostro tamen proposito satisfecisse putamus eo, quod arte hos versus cum parte huius libri sequente cohaerere neque quidquam mere christiani in eis inesse probavimus. Judaeorum enim notae in eis, quae sequuntur, totiens redibunt, ut originem huius carminis iudaicam evincere facile possis.

---

1) Tac. hist. I, 4 interprett.

2) vita Neronis c. 57.

3) Etiam in ceteris rebus Noster rumores famasque captare, quam verum profiteri mavult, ubi hostium Judaeorum gloriae obtrectare eo potest. (cf. Dion. Cass. 66, 17) ὡς δέ τινες καταψευδόμενοι τοῦ Τίτου.)

4) Hadriani laudes (v. 47—50) a Judaeo et a Christiano aeque difficile scribi potuerunt. Quid nos de hac re sentiamus, dicemus infra.

Ita transitu ad sequentia parato, antequam de auctore feratur iudicium, reliquum quoque carminis argumentum tractandum esse videtur.

Enumeratis illis imperatoribus Sibylla se ipsam ter infelicem (τριταλαίνην) luget, quod Isidis sororis suae templo Furias appropinquantes praevideat tum, cum Nilus aquis suis totam Aegyptum inundaturus sit. Memphim caelestis quaedam vox hisce verbis increpabit:

v. 63. Μεγαλόσθενε Μέμφι,
Ἡ τὸ πάλαι δειλοῖσι βροτοῖς αὐχοῦσα μέγιστα,
Κλαύσεται ἀργαλέη καὶ ἄμμορος, ὥστε νοῆσαι
Αὐτὴν ἀΐδιον Θεὸν ἄμβροτον ἐν νεφέεσσι κτλ
et infra Ἀνθ' ὧν ἐξεμάνης ἐς ἐμοὺς παῖδας θεοχρίστους,
Καὶ κακίην [1]) ὤτρυνας ἐν ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖσιν,
Ἕξεις ἀντὶ τόσων τοίαν τρόφον εἵνεκα ποινῆς
Οὐκέτι σοι φανερῶς θέμις ἔσσεται ἐν μακαρέσσιν·
Ἐξ ἄστρων πέπτωκας, ἐς οὐρανὸν οὐκ ἀναβήσῃ.

Recte Bleekius ex his versibus colligit, seditionis a Barcosiba in Palestina agitatae etiam ceterarum terrarum Judaeos poenas luisse; sed hoc quidem inde elucet, poetam nostrum civem fuisse Aegyptium, quippe qui Aegyptiarum urbium calamitates primo loco defleat. — Castigantur deinde homines, quia ἀντιθέους λίθους καὶ κνώδαλα θρησκεύοντες (v. 77), quibus nec mens neque auditus sit, ἅγε μοι θέμις οὐδ' ἀγορεύειν (v. 79) [2]), verum Deum spreverint. — Sequuntur aliae dirae exsecrationes ceterarum Aegypti urbium versibus mutilis decurtatisque ita, ut frustra, quid iis contineatur, suspicati esse videantur interpretes. Tantum, id quod ad

[1]) sic lego pro vulgata καί τε κακὴν, cuius voculam τε L. R. omittunt.

[2]) cf. 3, v. 19, 20. — Judaeorum erga suum Deum verecundia fidesque et odium adversus falsa gentium numina in pronuntiandis horum deorum nominibus idem effecisse videntur. Neque enim sanctum veri Dei, neque invisum illorum appellare quisquam piorum quidem Judaeorum ausus est. cf. quod de hac re disputavimus supra et notissimos locos Thalmudicos eadem de re agentes.

nostram rem facit, cognoscitur de ultimis mundi diebus agi, quibus rex quidam potentissimus (sc. Belial ille, quem nos supra saepius expectatum esse cognovimus) e Parthorum terra profectus commune universi orbis bellum sit moliturus omniaque ita vastaturus, ut vix tertia pars hominum in terris relinquatur. Hanc de Nerone olim vulgo acceptam fuisse opinionem, supra demonstratum est, neque admiramur, poetam prophetarum Judaeorum vaticinia de tantis totius mundi calamitatibus ad Neronem esse referenda putasse. Tum autem, cum rex ille ad summum potentiae fastigium evectus beatorum etiam sedem rapinis dilaceraturus sit, finem et ipsius et mundi totius ab alio rege potentiore divinoque (sc. Messia) factum iri. — Ab Aegypto ad Persas Asianosque Sibylla se convertens, Euphratis fluvii diluvio laboraturos esse Persas, Iberos, Babylonios, Massagetas (?), Ἄσσις ὅλη πυρίφλεκτος ἕως νήσων σταλαγήσει (v. 117); Pergamus, Pitane, Lesbos, Smyrna, Babylonia, Syria magna, Phoenicia, Lycia terrae motibus marisque aestu calamitates maximas patientur, nec minus Phrygia, quod Rhea, Jovis filia, ibi primum habitavit[1]). Pontum inde transgressa Sibylla Thessaliae et Graeciae fata canit saevissima, quam poetae ter miseram (τριτάλαιναν v. 136) defleturi sint, quando ex Italia Romae magnae rex magnus, ἰσόθεος φώς (v. 138) quem Jovis Junonisque filium apellaturi sint homines, quique, etsi molles cantus ore canoro spissis theatris edens, multos cum matre ipsa pessumdaturus sit. „Babylone[2]) relicta fugiet dominus ille praepollens atque impudicus, optimo cuique invisus, quia multos interemit, maternoque ventri manus intulit, in uxores peccavit, ad Medos Persasque, delicias suas, quibuscum mala scelesta nefariaque gentis suae struat; idem qui templum θεότευκτον (v. 149) cepit incolasque igne combussit. Ipso enim adveniente omnis rerum natura atque ordo vacillabat, reges perierunt, et penes quos

---

1) Nescio an inde colligere possis, nostrum libri tertii versus 140 sqq. et versus 401 sqq. ibi vix perspicuos ad carmen suum adhibuisse.

2) i. e. Roma.

regnum remanserat, ei magnam urbem gentemque iustam in perniciem detruserunt". Sed quando post annum quartum[1]) stella quaedam magna fulserit, orbi universo exitii omen ob cultum Neptuno antiquitus institutum stella illa in mare immerget ipsa cum Babylone (i. e. Roma) Italiaeque terra, cuius vitio multi Hebraeorum fidi piique ceciderunt". — Habes hic foedissima illa Neronis vitia una cum ineptis eius libidinibus histrione magis gladiatoreque quam imperatore dignis, depicta a poeta Judaeo, qui, ut iam supra demonstratum est, eidem eversi templi quoque culpam tribuit, cui eam potissimum ob causam mundi finem, nefariorum poenam iam non procul abesse persuasum est, id quod mirum in modum ita fefellit vv. dd., ut vel de christiano cogitarent auctore. Neque hae tantum notae in hanc nos induxerunt sententiam, sed aliae etiam postea examinandae. Eodem ex loco de aetate quoque poetae aliquid concludere licet, scripsisse eum haud ita multo post Hierosolymorum templique excidium falsoque Alexandrum eum in Antoninorum tempora detrudere. —

Sequuntur versus venusti atque acerrim, quibus acerbissimum illud hominis Judaei adversus Romanos odium, exsultantes illos in potestate sua moribusque deterrimis ac depravatis deditos, manifestum et in medio positum videmus. Quos ut qualis in poeta nostro vis poetica atque rhetorica una cum artis elegantia, etsi interdum veterum legibus solutis, insit ostendamus, hic descripsimus:

v. 165. Μοιχεῖαι παρά σοι, καὶ παίδων μῖξις ἄθεσμος
Θηλυγενὴς ἄδικός τε, κακὴ πόλι, δύσμορε πασῶν·
Αἶ αἴ, πάντ' ἀκάθαρτε πόλι Λατινίδος αἴης,
Μαινὰς ἐχιδνοχαρής, χήρη καθέθοιο παρ' ὄχθας
Καὶ πόταμος Τίβερίς σε κλαύσεται, ἣν παράκοιτιν[2])

[1]) ἐκ τετράτου ἔτεος (v. 154) non ad annum aliquem post capta Hierosolyma referendum, ut Friedliebius (prolegg. p. 44) et, ni fallor, Bleekius, qui hanc huius carminis partem non multo post Neronis mortem scriptam esse inde fortasse concluserit, voluerunt, recte Alexander monuit (a. h. l.)

[2]) cf. Horatianum illud »uxorius amnis« (carm. 1, 3, 20.)

Ἦτε μιαίφονον ἦτορ ἔχεις, ἀσεβῆ δέ τε θυμόν.
Οὐκ ἔγνως, τί Θεὸς δύναται, τί δὲ μηχανάαται,
Ἀλλ' ἔλεγες· Μόνη εἰμὶ καὶ οὐδείς μ'ἐξαλαπάξει,
Νῦν δέ σε καὶ σοὺς πάντας ὀλεῖ Θεὸς αἰὲν ὑπάρχων
Κοὐκέτι σοῦ σημεῖον ἔτ' ἔσσεται ἐν χθονὶ κείνῃ,
Ὡς τὸ πάλαι, ὅτε σὰς ὁ μέγας Θεὸς εὕρατο τιμάς.
Μεῖνον, ἄθεσμε, μόνη, πυρὶ δὲ φλεγέθοντι μιγεῖσα,
Ταρτάρεον οἴκησον ἐς[1]) Ἅιδου χῶρον ἄθεσμον.

Roma, inquit, quae singularem semper sibi expetiverat in terris locum atque honorem, singularem in Tartaro quoque locum obtinebit, singularia supplicia subibit.

Eundem hominem scelestum[2]) atque miraculi similem, eadem vel etiam maiora, quam quae supra descripta erant, stellarum totiusque mundi prodigia compluribus Aegypti Africaeque urbibus calamitates postremas allatura praedicunt versus 178—212. Ne Britannos quidem neque Gallos liberos fore a malis omnium mortalium communibus,

Καὐτοὶ γὰρ κακότητα Θεοῦ τέκνοις ἐποίησαν,
Ἡνίκα Σιδόνιος βασιλεὺς Φοίνιξ Γαλικανόν
Ἤγαγεν ἐκ Συρίης πλῆθος πολὺ v. 201 sqq.

Cum Vespasianus[3]) e Phoenicia (parte quadam Syriae) ad expugnandam Judaeam profectus initio legiones tres V, X, XIV duxisset, accessit ex Italia in Syriam a Muciano remissa legio III. Gallica teste Tacito[4]). Eadem de causa v. 204 Ravennam detestatur vates, unde in Phoeniciam navigaturis exitus fuerat. Plura deinde de Beliale i. e. Nerone praedictura ad Corinthum transit Sibylla, urbem a Sibyllis Neronem spectantibus saepius iactatam,

---

1) ἐν Ἅιδου fortasse melius.

2) Friedl. p. 44 hic novam incipi oraculorum seriem, Sibyllamque v. 214 demum ad Belialem reverti non iure contendisse videtur. Ubique enim fusius breviusve Belialis mentio fit, (cf. v. 189. 195, 200, 203) caelestiumque illorum prodigiorum, quae supra commemorata erant. (cf. v. 154 sqq. 193, 205 sqq.)

3) cf. Alexand. a. l.; Friedl. prolegg. XLIV.

4) hist. 4. c. 39.

quia frustra eum Isthmum perfodere coepisse et ex historicis et ex sibyllinis carminibus constat.

v. 220. Τούτῳ γάρ τοι δῶκε Θεὸς μόνος [1]), ἐς τὸ ποιῆσαι
Οἷά τις οὐ πρότερος τῶν συμπάντων βασιλήων.

Ipse enim primum falce trium capitum radicem aliis tradet devorandam, quos fixe firmeque instituturus sit ita, ut reges impii parentum (i. e. antecessorum) sanguinem comedant [2]). Omnibus enim mortalibus caedes atque angores

---

[1]) nonne μόνῳ melius?

[2]) Hunc sensum in versibus obscurissimis et ab aliis interpretibus aliter explicatis, quorum tamen nemo rei satisfecisse mihi videtur, inesse suspicor. Legitur enim v. 222 sqq.

Πρῶτα γὰρ ἐκ τρισσῶν κεφαλῶν σὺν πληγάδι·ῥίζης
Στησάμενος μεγάλως, ἑτέροις δώσειε πάσασθαι
Ὥςτε φαγεῖν σάρκας γονέων βασιλῆος ἀνάγνου (velut maluerim βασιλῆας ἀνάγνους). Hoc oraculum oraculi fere instar vertit Friedl. »Denn zuerst steht gewaltig er da (στησάμενος?) und wird Anderen lassen Mit der Sichel abmähn drei Häupter herab von der Wurzel (ἐκ τρισσῶν κεφαλῶν ῥίζης?) Und so isst man das Fleisch der Eltern des unreinen Königs.« — Alexander τρισσὰς κεφαλὰς de tribus Antoninis intellegit, ut sit ῥίζα Antoninus Pius, (pro ῥίζης legit ῥίζαν, pro στησάμενος-σπασσάμενος) qui primus ab Antichristo evulsus relinquatur filiis devorandus. Mirum sane ipsi viro docto facinus hoc Antoninis assignatum, et nescio an eam ob causam addiderit Alexander, hoc solo Judaeorum odio excogitari potuisse. — Ewaldus, qui hoc carmen anno c. 80 p. Chr. conscriptum censet, τρισσὰς κεφαλὰς de Galba, Othone, Vitellio accipit, Titum autem turpe illud flagitium carnis patris devoratae una cum fratre Domitiano commisisse. Sed etsi cum illo ῥίζης in ῥίζας mutare velim, hoc in versibus illis minime invenio; ceterum hac ratione pluralis numerus vocis γονέων non explicatur, et στησάμενος codicum scripturam in σπασσάμενοι tum demum mutaverim, cum de tradita lectione omnino desperavero. At satis quidem aperte poeta his paucis versibus mutatas imperii Romani excessu Neronis vices adumbrare videtur, quod, usque ad Neronem filio a patre traditum, post tres Flavios ad varias gentes militumque iam interdum arbitrium delatum viderat. „Nero, inquit, tanquam rapti imperii vindex, Domitianum, trium nempe capitum, quia uno genere ortorum, radicem unam, aliis (Nervae, Traiano etc.) devorandam tradidit, ut omnes qui eum sequerentur imperatores fusi sanguinis illius macula impersi viderentur. Neroni autem haec omnia tribuit vates, Beliali scilicet, insigni prae ceteris mortalibus vi praedito. Syntaxis horum enuntiatorum ea est:

Deum minari ob magnam urbem populumque iustum maxime a divina providentia cultum ac saepissime servatum.

Redit deinde (v. 227—45) ad diras eius urbis exsecrationes, quae ἀρχὴ καὶ καμάτοιο καὶ ἀνθρώποις μέγα τέρμα (v. 229) sit, a nullo mortalium amatae, omnibus odiosissimae, quae mala omnia undique quasi congesserit, universi orbis ordinem perverterit, quam hiscė verbis gravissimis sane et tanquam e prophetarum Judaeorum ore profusis compellat:

v. 236. Εἰς ἔριν ἡμετέρην τυχὸν ἄστατα ταῦτα προβάλλου·
Πῶς δὲ λέγεις· πείσω σε, καὶ εἴ τι σε μέμφομαι, αὐδῶ·
Ἦν ποτ' ἐν ἀνθρώποις λαμπρὸν σέλας ἠελίοιο,
Σπειρομένης ἀκτῖνος ὁμοσπόνδοιο προφητῶν.
Γλῶσσα μὲν ἀνστάζουσα καλὸν πόμα πᾶσι βροτοῖσι
Φαίνετο, καὶ προὔβαινε, καὶ ἡμέρα πᾶσιν ἔτελλε.

Quapropter urbi illi sceleratissimae supplicia gravissima praenuntiantur. Sed quando Persarum terra a bello, peste, lacrimis requieverit [1]), tum die illo regnaturum esse Judaeorum beatorum genus divinum, quod Dei urbem incolat, usque ad Joppen magna sua moenia producens tollensque ad nubes altas. Non amplius tubae sonum homines irritaturum esse, nequo amplius raptorum manibus eos perituros, sed ipsos tropaea magna erecturos. — Haec ob religiosissime commemoratam Dei urbem ab alio sane atque a Judaeo expectari potuisse vix quisquam contendisset, nisi eis adiecta fuisset alia quoque spes obscurior, nonnullis interpretibus fidei christianae suspecta, Messiam denotans his quidem verbis:

πρῶτα δώσειεν ἑτέροις σὺν πληγάδι (i. e. caede) πάσασθαι ῥίζης ἐκ τρισσῶν κεφαλῶν (πατέομαι c. geuet.), στησάμενος μεγάλως (i. e. eos enixe constituens atque firmans) sc. αὐτοὺς τοὺς ἑτέρους.

1) cf. Eutrop. 8, 6: (Hadrianus) Traiani gloriae invidens statim provincias tres reliquit, quas Traianus addiderat, et de Assyria, Mesopotamia et Armenia revocavit exercitus ac finem imperii voluit esse Euphratem. — Parthi deinde otium egerunt usque ad Antoninos cf. hist. aug. Verus Imp. 7. — Etiam inde falso Alexandrum sub Antoninis hoc carmen compositum putare colligas.

v. 255. Εἷς δέ τις ἔσσεται αὖθις ἀπ' αἰθέρος ἔξοχος ἀνήρ
Οὗ παλάμας ἥπλωσεν ἐπὶ ξύλου πολυκάρπου
Ἑβραίων ὁ ἄριστος, ὅς ἠέλιόν ποτε στῆσε,
Φωνήσας ῥήσει τε καλῇ καὶ χείλεσιν ἁγνοῖς.

Voces sane ἀπ' αἰθέρος — οὗ παλάμας ἥπλωσεν ἐπὶ ξύλου facillime ad Jesum Christum referri possunt, id quod Bleekio[1]) et Alexandro[2]) placuit. At quid sibi vult epitheton illud πολυκάρπου?[3]) Porro, Josuane — de hoc enim in sequentibus sermo fit: Ἑβραίων ὁ ἄριστος ὅς ἠέλιόν ποτε στῆσε — Christum cruci affixit? — Itaque nos Christi hoc loco mentionem tanquam e Mose et Josua commixti, quod Bleekio[1]) Alexandro[2]), ac ni fallor Friedliebio[4]) quoque visum est, nullam videmus totamque rem ita intelligimus, ut putemus, Judaeum quendam Alexandrinum, quos libris sanctis leviter tantum plerumque imbutos fuisse constat, hoc loco de Judaeorum contra Amalecitas pugna in libris sacris[5]) narrata cogitasse, et de causa, quae Judaeos inde victores evasisse traditum erat. Quos locos cum obiter tantum legisset, facile res nonnullas aut plane oblivisci aut cum aliis narrationibus confundere potuit. Quo factum est, ut non Ahron et Hur Mosis manus od caelum erectas fulsisse, sed ipsum Josuam perpetuum illum Mosis asseclam atque cultorem putaret, itemque non lapides lassis Mosis manibus subiectos, sed baculum illud divinum, quod Moses secum ferebat (v. 10 וּמַטֵּה אֱלֹהִים בְּיָדִי) — Fortasse etiam vox πολύκαρπον e simili rerum confusione orta est, Sibylla hoc loco Mosis baculo eandem vim attribuente, qua praeditum Ahronis sceptrum in libris sacris praedicatur. וַיֹּצֵא פֶרַח וַיָּצֵץ צִיץ וַיִּגְמֹל שְׁקֵדִים (Num. 17,24) fructus ferens amygdalineos[1]).

---

1) l. l. II, p. 181.

2) vol I, ad h. l.; et vol. II, p. 350 sqq. —

3) Alexandrum carmen christianum: »flore, fruge fertilis« cum nostro loco serio comparasse vix crediderim (vol. I, a. l.)

4) prolegg. p. XLV.

5) Exod. 17, 9 sqq.

6) Etiam Alexander locos librorum sacrorum huc pertinentes novit

Magnis hanc quoque explicationem laborare difficultatibus, ne nos quidem fugit, ac tamen magis universi carminis sensui satisfacere videtur, quam Christi cuiusdam a Josua (!) cruci frugiferae (!) affixi mentionem, praesertim cum primo, si hoc verum esset, de Josuae non virtutibus, sed vitiis sermo fieret, ipse tamen Ἑβραίων ὁ ἄριστος compellaretur, tum totus huius carminis tenor Judaeum sapiat poetam, qui, ardentissimo patriae, gentis, fidei amore, odio in hostes eorum acerbissimo impletus, istos animi sui motus ubique fere in medio ponat.

Quodsi nostra horum quattuor versuum explicatio recta est, hoc loco Judaea spes, adventurum esse Messiam ad summum fastigium evchitur, ad summi nempe hominis, Mosis ipsius, reditum, id quod in libris quoque Thalmudicis speratum esse. —

„Is Messias [1]) ita pergit vaticinium, Israelitarum genti ámatae Deo plantac, reddetur, neque iam Graecorum pedes impii in solo sancto exsultabunt, sed a populis finitimis

---

explicatque simili, quo nos, modo, omnia tamen perfundens ac pervertens propter opinionem, quam de Christo hoc loco significato concepit.

1) Bleekius, Lücke Gfroerer hos versus altero ante Christum seculo conditos putant, omnes praeter Bleekium causam tacentes, ipse Bleekius commotus vv. 264, 65. qui in codd. sic legutur:

Οὐκέτι βακχεύσει Περσῶν χθόνα ποὺς ἀκαθαρτος
Ἑλλήνων, ὁμόθεσμον ἐνὶ στήθεσσιν ἔχων νοῦν·

Sed librariorum neglegentiam hoc loco aliquid commisisse, iam inde patet, quod Judaeorum nihil interesse potuit, utrum Persarum terra a Graecis an ab aliis incoleretur. Praeterea et in eis quae antecedunt et eis quae sequuntur: ἀλλὰ σε κυδάλιμοι παῖδες περιτιμήσουσι etc. de Judaeis agitur. Jure igitur Alexander et Friedliebius in edd. suis pro Περσῶν habent περὶ σὴν, recteque adnotavit Friedliebius, de Graecorum regno nihil in his versibus inesse, Graecos autem omnibus temporibus multos in Judaea habitasse, qui invisi poetae causam huius vaticinii praebere potuerint. Fortasse etiam de Graeculorum moribus hoc loco agit poeta.

honoribus summis culta gens illa pios hymnos precesque una cum variis sacrificiis (παντοίαις θυσίαισι) Dei altaribus apponet. Qui autem facinora mala perpetraverint quique ore superbo aetheri adversati fuerint, ei peribunt igne caelesti. Illis beatissimis temporibus nec iam serent homines neque metent, ultro omnia humo proferente, ut inde cognoscant τὸν πρύτανιν πάντων Θεὸν ἄμβροτον αἰὲν ἐόντα (v. 276), finisque imponatur mori homines ut deos adorandi vel honores canibus vulturibusve attribuendi, quem vanum inanemque cultum ab Aegypto genus humanum edoctum est. Hebraeorum autem terra melle lacteque abundabit,

v. 281. Εἰς ἕνα γὰρ γενετῆρα Θεὸν μόνον ἔξοχον ὄντα
Ἤλπισαν, εὐσεβίην μεγάλην καὶ πίστιν ἔχοντες.

Sed haec tempora beata non antea appropinquabunt quam Asia et universus terrarum orbis fata divina expleverit, atque invita tantum haec omnia Sibylla ardentissimo Messiae desiderio incitata hoc iam loco cecinerat, ubi prius de Asiae calamitatibus agendum erat. Itaque se ipsam compellans, recordata eorum, quae in antecedentibus promiserat (v. 246), varias Jonum, Carum, Lydorum, Sardianorum, Trallensium, Ephesiorum calamitates enumerat, inde Smyrnam, Cumam (Aeolicam fortasse), Lesbum, Corcyram, Hierapolim, Tripolim, Miletum detestatur (v. 306—326), unicuique harum urbium eiusmodi malum minata, quod aut pro loci natura aut ex antiquiorum Sibyllarum usu facili promi potuit, ut diluvia, terrae motus, pestes, fulgura, tonitrua, ignes caelitus missos, alia, qualem apud Sibyllas morem fuisse iam saepius cognoscere nobis licuit. Ex Asia discedens Deo supplicat poeta, ut in his calamitatibus omnium gentium communibus Judaeorum terrae[1]), quippe quam singularem sibi Deus elegerit, parcat (v. 327—331). —

[1]) Hoc quoque loco refellitur opinio de christiano huius carminis auctore. Deum implorans, ut Judaeae parcat, addit poeta ἵνα σὰς γνώμας ἐπίδωμεν, se ipsum in Judaeorum numero collocans.

Thracia, Hellesponto, Asia minore minis obscuris compellatis iterum ad Ἰταλίην τρίταλαιναν Sibylla se convertit, quacum ei usque ad finem carminis res est. Jam inde cognoscere possis, totum hoc oraculum inde ab initio uno tenore usque ad finem productum esse, cum poeta initio στονόεντα χρόνον κλεινῶν Λατίνων canere sibi proposuerit neque unquam ab hoc instituto suo tot in varias urbes terrasque vaticiniis desistens, in uniuscuiusque fere fine Latinorum mentionem fecerit. Italiam igitur compellat, cum de supremis mundi diebus, de Dei iudicio supremo, de Beliale in mundum ingruente agendum est. Quae omnia oratione tam fervida atque concitata describuntur, ut non dubium sit, quin his versibus illius aetatis hominibus terrores angoresque incussi sint. Mediis e tonitribus futurum esse ut vox quaedam divina audiatur, sol, luna, homines luce careant, tenebris occultetur atque circumfundatur universus mundus crassis tetrisque

Ὥστε νοῆσαι Θεὸν πανεπίσκοπον οὐρανόθι πρό,

quem non placare possint homines nefarii, olim falsis numinibus colendis dediti, ne uberrimis quidem sacrificiis. Adhortatur igitur poeta, ut in tempore sapientiam fidemque iustorum vereantur et sequantur, ne forte iratus aeternus Deus ipsos opprimat.

v. 358. Δεῖ στέργειν γενετῆρα Θεὸν, σοφὸν, αἰὲν ἐόντα,
Μὴ γένος ἀνθρώπων βίοτον καὶ πάντας ὀλέσσει.

Bellum ingens tunc universo in orbe esse saeviturum (κοσμομανής); nam ex ultimis terrae finibus (e Parthis) parricidam quendam esse adventurum (Nerorem), universum orbem sibi subiecturum, multos homines, quin etiam magnos tyrannos pessumdaturum atque igne combusturum [1]). A solis

[1]) Vulgatam lectionem: Πάντας τ'ἐμπρήσει, ὡς δή ποτε ἄλλος ἐποίει (v. 369) Bleekius ita corrigi voluit, ut mutata voce ἄλλος in ἄλλοτ' obscure hic Neronis Romae incendium significaretur. Magis fortasse et sensui et locutioni serviamus mutatione levi: ὡς οὐδέποτ' ἄλλος ἐποίει, uadente quoque scriptura codd. F. L., qui δή ποτ' habent.

occasu (Roma, Neronis causa) et hominum bella saevissima et naturae motus terribiles extituros ubique,

v. 379. Πάντας ὁμοῦ τ' ὀλέσει βασιλεῖς καὶ τοὺς τότ' ἀρίστους —

Hunc fore finem belli, ut nemo amplius ferro iaculove impius pugnet: pacem enim esse acturum populum sapientem, a Deo e tot malis atque calamitatibus reservatum ad summam aeternamque prosperitatem.

Quibusnam autem virtutibus Judaei ista prosperitate, quibusnam vitiis ceterae gentes, Romani in his praecipue, istis calamitatibus digni fuerunt? Sequuntur, fortasse ut tali quaestioni quasi respondeatur, acerbissimae perversorum depravatorumque illius aetatis morum animadversiones castigationesque, quas Romani potissimum meruerant. Nonnullas earum quin hic apponeremus facere non potuimus.

v, 385. Μητρολέται, παύσασθε θράσους τόλμης τε κακούργου
Οἳ τὸ πάλαι παίδων κοίτην ἐπορίζετ' ἀνάγνως
Καὶ τέγεσι (ν) πόρνας ἐστήσατε —
v. 389. Ἐν σοὶ γὰρ μήτηρ τέκνῳ ἀθέμιστος ἐμίγη [1])
Καὶ θυγάτηρ γενετῆρι ἑῷ συζεύξατο νύμφη. —
Ἐν σοὶ καὶ βασιλεῖς στόμα δύσμορον ἐξεμίηναν.
Ἐν σοὶ καὶ κτηνῶν εὗρον κοίτην κακοὶ ἄνδρες.

Taceat igitur Roma, ne Vestae sanctae quidem ignem semper esse remansurum, quoniam ipsius veri Dei templum iterum conflagratum vates viderit, quo in templo neque ignotus aliquis Deus alienigena atque advena, neque lapis artificum manibus ornatus, sed magnus ille omnium rerum pater atque auctor Deus cultus atque adoratus sit θυσίαις καὶ ἁγίαις ἑκατόμβαις (v. 407). Tum autem hoc templum eversum esse a rege quodam ignobili (ἀφανής v. 408) atque impio. Sed qui hoc scelus commiserit, eum non impune tantum flagitium perpetrare potuisse: e navibus enim egressum (χέρσον ἐπ' ἀθανάτην ἐπιβὰς γῆν v. 411) eum statim mortis poenam subiisse [2]). Cuius supplicio deterritos homines non amplius

[1]) Volkm. ἐν σοὶ γὰρ μήτηρ ἐμίγη τέκνῳ ἀθεμίστως.

[2]) Judaeorum odium Titum, qui vulgo „Amor et deliciae generis humani“ apellari solebat, cognomide הָרָשָׁע „Scelesti“ donavit. Sed ne

tale esse molituros: venturum enim e nubibus virum beatum manu virgam a Deo datam tenentem, bonis divitias restituturum, quas pravi eis abtulerint, malorum sedes funditus flammis diruturum, urbem autem a Deo amatam fulgore donaturum splendidiore sideribus vel ipso Sole Lunaque, templum denique Dei ἔνσαρκον (v. 423 non, ut illorum temporum christiani iam docebant ἀΐδιον, ζῶν) exstructurum magnamque turrim

v. 425. Αὐτῶν ἁπτόμενον νεφέων καὶ πᾶσιν ὁρατόν [2])
Ὥστε βλέπειν πάντας πιστούς τε δικαίοῦς
Δόξαν ἀϊδίοιο Θεοῦ, πεποθημένον εἶδος.

Illa enim aetate non amplius dominaturos esse Romanos neque amplius orbem detorpatum iri eorum vitiis turpissimis partim supra (v. 386 sqq.), partim hic castigatis atque perstrictis:

v. 429. Οὐκέτι γὰρ γαμοκλοπίαι, καὶ παίδων κύπρις ἄθεσμος
Οὐ φόνος, οὐδὲ κυδοιμὸς, ἔρις δ'ἐν πᾶσι δικαία.
Ὕστατός ἐσθ' ἁγίων καιρὸς, ὅτε ταῦτα περαίνει
Θεὸς ὑψιβρεμέτης, κτίστης ναοῖο μεγίστου.

Sed praeter Romanos alia quoque illis temporibus gens illorum imperio non subiecta, sed res suas per se administrans,

---

eo quidem acquiescentes fabulas fingebant varias, cavillantes irridentesque gloriam eius, quarum unam poeta noster hic indicare videtur. Narrant enim Judaeorum fabulae, everso templo sancto Titum Deo conviciantem se ipsum illo maiorem appellavisse. Sed ubi domum vela dederit, Deum, ut potestatem suam ostenderet, vehementes procellas misisse. Quam rem Tito novam atque maiorem irridendi caussam attulisse, tanquam tota Dei illius potestate in mari posita, ut ex Aegyptiorum quoque exemplis cognosci potuisset. Commotum autem hoc opprobrio, Deum classi imperatoris pepercisse, et egresso demum in terram culicem in cerebrum per nasum volasse, cuius sonum perpetuum primo eo sustinere potuerit, quod dies totos in officina ferraria degerit, Tum assueto denique culice strepitui illi, denuo Titum ita vexatum esse ut moriens Dei veri gloriam atque magnitudinem confessus sit. (Thalmud babli, Gittin p. 566.)

[1]) Aperte hoc loco poeta noster christianorum de hac re doctrinae suam opponere voluisse videtur.

Parthorum dico, magno in flore ac potentia vigebat, quorum fines initio imperii Hadriani restitutos Romani non amplius invaserant. Itaque etiam Babylon, huius regni caput, interire debebat, antequam omnia in hoc mundo ad Messiae dominationem Judaeorumque integram salutem ac restitutionem parata essent. Hoc versibus sequentibus praedicitur; frustra dilatando imperio suo in Persas Medosque Babylonem navare operam, frustra eam prudentissime Romam obsides misisse, inservivisse Asianorum voluntatibus iudicio supremo ante portas minante[1]) (v. 434—446.) — Sequuntur vaticinia de Ponto exsiccando, universa Asia, Creta vasta maris illuvie inundanda: Tyro Phoenciaeque praedicitur πτῶμα κακὸν, Σειρῆνες ὅπως κλαύσωνται ἀληθῶς (v. 447—57).

Quae porro poeta canit de bello ingenti omnium mortalium in Aegypto orituro ἐν πέμπτῃ γενεῇ, ὅτ' ἐπαύσατ' ὄλεθρος (v. 458), quod Romae quidam rex dominique occidentis finituri sint, nisi eodem respiciant, quo omnia de Nerone[2]) universo orbi bellum illaturo vaticinia, me non intellegere confiteor. Audacius haec Alexander de Cleopatrae temporibus accipi vult. — Aeque obscura mala vv. 464—475 continent Asiae imminentia a barbaro quodam populo, cum „hibernis cum nivibus" aer flaverit fluviusque magnus lacusque maximi glacie concreverint. Solem tum in mare se abditurum neque unquam reversurum Πολλῶν γὰρ μερόπων εἶδεν κακότητας ἀνάγνους (479), tenebras autem inde ortas nova Dei luce scissum iri ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖσιν, ὅσοι Θεὸν ἐξύμνησαν. (483).

Isim, quam iam semel defleverat (v. 52 sqq.) Sibylla, atque Serapim in oblivionem aeternam venturos, et quicunque numina ista olim coluerint,

v. 491. Κλαύσονταί σε καλῶς· νοῦν δ'ἄφθιτον ἐν φρεσὶ θέντες
Γνώσονταί σε τὸ μηδὲν, ὅσοι Θεὸν ἐξύμνησαν.

---

1) ingeniose Volkmann pro εἰς κρίσιν-'Αττικῶν ἥξεις (v. 445) coniecit εἰς κρίσιν-'Αντιδίκων (lect. Sibyll. a. l.)

2) qui quidem quintus ab Augusto Imperator numeratur.

Itaque futurum esse, ut magnum omnes Aegyptios teneat desiderium veri Dei colendi eique genua inflectendi. Monente sacerdote quodam, sublatis falsorum deorum simulacris, vero Deo magno magnum eos aedificaturos esse templum ibique una cum gente divina (θεοτεύκτῳ) sacra facturos. Sed etiam hoc templum eversum iri ab Aethiopibus ob magnam Dei olim laesi iram. — Ut ea quae antecesserunt, ita haec quoque de Messianis temporibus accipienda esse censeo, de Oniae enim templo Leontopoli aedificato [1]) idcirco hic cogitari non potest, quod illud Vespasiani iussu, non ab Aethiopibus eversum esse scimus [2]).

Addit poeta absolvendum totum oraculum suum, quo magis hominum animos flectat et ad rerum futurarum expectationem erigat, imaginem magnificam sane ac terribilem siderum in caelo inter se certantium, quo certamine, quas supra praedixerat, tenebrae lucem Messianam anteeuntes in mundum inducantur (v. 512—531.) Ipsam autem Messiae dominantis aetatem eo consilio non attigisse videtur, ne minae illis versibus summo ardore atque impetu prolatae aliis rebus suavioribus debilitarentur. Falso igitur Ewaldus [3]) detruncatum hoc carmen ad nos pervenisse contendit, nec sententia, nec dispositione carminis plura flagitante.

Habemus igitur in hoc carmine Judaei cuisdam in Aegypto florentis spes atque expectationes Messiae statim adventuri orbemque universum sibi Deoque suo subiecturi. Nunc ut totam de hoc libro quaestionem profligemus, aetatis indicia, ubi nobis occurrunt, sunt colligenda. Ac, siquidem de Judaeo non amplius ambigitur, auctore, optime huic rei consulere nobis videmur, si quae de templo Hierosolymitano in hoc carmine canuntur, maxime ad statuendam aetatem adhibemus. Eversum enim templum, etsi

---

1) Friedl. p. XLVIII. Bleekius haec 150 a. Chr. scripta putat.

2) Bell. Jud. 7, 10, 4. — Graetz, Gesch. d. Juden. 3, p. 412.

3) l. l, p. 62. — Elegantissimi sane hi versus sunt ac sane digni qui saepius legantur: documentum enim sunt idoneum diligentissimi illis temporibus in rebus caelestibus collati studii.

Judaeos nondum patria pulsos, produnt v. 250 sqq., ubi de Judaeis Dei urbem incolentibus tempore praesente (περιναιετάουσι) agitur, templi mentio fit nulla, id quod poeta aede nondum eversa certe nullo modo commisisset. Judaeos autem Hierosolymis habitare vetitos esse ab Hadriano ex rerum scriptoribus comperimus[1]) Ante igitur hoc edictum (i. e. annum 135 post Chr. natum) conditum esse hoc carmen patet, unde facile Alexandri sententiam de Antoninorum aequali poeta nostro refutare possis. — In eadem tempora revocamur vv. 247 sqq, ubi de Parthis pacem agentibus sermo fit[2]), quo loco recte explicato statim spatium illud annorum, intra quod hoc carmen conscribi potuit, artioribus etiam limitibus coercetur. Ante Hadriani enim tempora de Parthis pacem agentibus cogitari nunquam potuit ideoque non iam intra annos 70 et 133, sed intra 117 et 133 versamur. Non debilitatur haec ratiocinatio loco illo, qui legitur v. 396 et 397, ubi poeta, amissae patriae templique eversi dolore vix consolabili oppressus atque afflictus, quam personam tota carminis natura ei imposuerat, tueri desinit[3]) fortunamque suam his verbis luget:

Ἡνίκα δεύτερον εἶδον ἐγὼ ῥιπτούμενον οἶκον
Πρηνηδόν —

Quid enim δεύτερος οἶκος, praecipue comparatus cum Vestae templo, significet, ambiguum non potest esse ei qui solitum illud ac sermone quotidiano tritum nomen בַּיִת שֵׁנִי noverit. Viderat igitur poeta ipse flebiles gentis suae cala-

---

6) Dio Cass. 69, 12—14; Euseb. hist. eccl. 4, 6, 3 ed. Heinicken.

7) cf. quae disputavimus supra p. 72, 73 cum not.

1) Idem ei accidisse v. 329 supra notavimus — Vix probare potest Alexander, quod (vol. II, 253) de hoc loco sentit, „Sibyllam quippe πολυχρονιωτάτην, talem cladem iterum (δεύτερον) videre potuisse“. Nam aut poeta prophetae personam semel indutam tenet — tum vox εἶδον aeque de somnio visove dici potuit, atque εἶδον illud de siderum propigiis (v. 512): at tum Sibylla πολυχρονιωτάτη sit haud quaquam oportet — aut personam poeta abiicit, quod nobis versimilius videtur.

mitates cladesque, qua de caussa denuo ab Alexandro discedere cogimur, cum, si primis saltem Antoninorum annis hoc carmen conditum putamus, poetam aetatis annum agentem fere centesimum haec scripsisse vic persuaderi cuiquam possit. Secundum nostram autem computationem, anni circiter quinquaginta, ad summum sexaginta inter cladem illam et originem huius carminis intercedere potuerunt ita, ut ipsum poetam pueritia Hierosolymis acta ob cladem illam in Aegyptum se contulisse fortasse iure aliquo contendere possimus.

Qua nostra ratiocinatione aliud quoque effici videtur, verum esse id, quod supra de primorum 52 versuum cum eis qui sequuntur conexu intimo iudicavimus, quos consulto in definienda huius carminis aetate non adhibuimus, quia a nonnullis addubitati ipsi magis definiendi quam alia definituri videbantur. Quis autem est, qui adhuc neget, artissime illos versus cum sequentibus cohaerere, postquam utrique nos in eadem tempora, in eundem potius annum revocaverunt. An fortuito haec ac caèco casu uno anno orta, in unum locum congesta contendere malis, quam uno ore atque ingenio profecta? Idem enim, quod nos ex his huius carminis locis eruimus, tempus ibi clare describitur, poeta singulos imperatores Romanos nominatim fere enumerante usque ad Hadrianum, qui vv. 47 et 48 egregiis laudibus ornatus *πανάριστος ἀνὴρ ἔσται καὶ πάντα νοήσει* tanquam praesens his verbis compellatur:

> Καὶ ἐπὶ σοί, πανάριστε, πανέξοχε, κυανοχαῖτα,
> Καὶ ἐπὶ σοῖσι κλάδοισι τάδ' ἔσσεται ἤματα πάντα·
> Τρεῖς ἄρξουσιν· ὁ δὲ τρίτατος σφῶν ὀψὲ κρατήσει,

Horum versuum ultimo, qui ad Antoninum Pium, M. Aurelium, L. Verum referendus est, commotus Alexander in Antoninorum tempora non hos solum versus, sed etiam totum hoc carmen detrudere conatur, tanquam compositum sit Aurelio vel Vero imperatore. Videat tamen ipse, quo hoc iure. Ut enim id omittamus, quod per se satis sane difficultatis praebet, poetam omnium superiorum nomina literis

aliisve signis notasse, hos solos, aequales suos, breviter tantum strictimque attigisse, nota nulla addita (id quod nisi de Galba, Othone, Vitellio nunquam sibi permisit), Hadrianum autem, tanquam in vivis foret, alloqui: num illud credibile est, hominem, quem ex toto hoc carmine ut Judaeum patriae fideique amantissimum cognovimums, non solum Hadriani in Judaeos crudelitatem silentio praetermisisse, sed etiam ipsum summis laudibus tollere atque celebrare potuisse [1]) Responsum si ab Alexandro petimus, ferimus hoc: nota prudentiam eius laudari, non clementiam". At in ceteris poeta noster Alexandro non ita iustus sanctusque ac veritatis amans videtur [2]) — Ego quidem utrum cum Bleekio [3]) et Friedliebio [4]) hunc versum manu recentiore additum e libro X (XII) v. 76 sqq. putem, an genuinum vivo adhuc Hadriano scriptum esse disceptare vix ausim, potuit enim poeta Hadriano imperatore etiamtum haec vaticinari, cum de his viris apud imperatorem multum pollentibus fando aliquid audivisset ac fortasse etiam de illius consilio eos adoptandi. Ea enim condicione T. Antonius ab Hadriano adoptatus est, ut ipse Veri, ab Hadriano amati, filium et M. Aurelium genti suae ascisceret [5]). Unde hoc quoque cognoscere licet, cur tertium illum, tum adhuc puerum, sero regnaturum vates falso praevidere potuerit. M. Aurelius enim una cum Vero imperium accipiens annos fere undecim superstes illi fuit. Eodem tempore hoc quoque facilius fieri potuit, ut homo Judaeus, cum gentem suam post saevissima Traiani [6]) tempora sub Hadriano [7]) vires adeo recipientem

[1]) cf. quanto ab hac huius imperatoris laude a poeta recentiore profectus abhorret liber 8, (v. 50—64), ubi quid de Alexandri ad v. 59 adnotatione dicam: „Notandum rursus Hadriani elogium quale fere l. V, 47 sqq." nescio. An honoris caussa ibi Hadriano ποῦς μιαρός, similia, tribuuntur?

[2]) cf. hui. disp. c. III init.

[3]) l. l. II, p. 174 sq.

[4]) l. l. p. XLVII.

[5]) vita Ae. Veri.

[6]) Graetz, Gesch. d. Jud. ed. II. 4, p. 123—130.

[7]) ibid. p. 138 sqq.

videret, ut etiam de templo restituendo[1]) nonnulli iure cogitare viderentur, eum imperatorem tantis laudibus celebraret, si hoc carmen ante Judaeorum seditionem, anno circiter 130 p. Chr. n.,[2]) compositum censemus. Nam dignissimus sane fuit illis laudibus imperator, qui et de urbe et de provinciis optime meritus erat, ipse omnes imperii sui provincias animi causa peragrans et, ubicunque poterat, auxilium ferens salutique consulens. — Leviter haec sententia etiam eo fulcitur, quod loci,[3]) ubi Traianus morti succubuerat, mentio fit, id quod certe Noster, si nimis longe ab illius temporibus abfuisset, non facturus fuisset, cum nisi ipsi vivus hoc comperisset, memoria dignum sane arbitraturus non fuisset,

Satis ex his omnibus demonstrasse nobis videmur, Sibyllinorum librum quintum in urbe quadam Aegyptia ab homine Judaeo anno c. 130 p. Chr. n. conditum esse.

---

1) ibid. not. 14, p. 442 sqq., p. 450 sqq.

2) Hoc enim anno Hadriani erga Judaeos voluntas mutari coepta est, ibid. p. 451.

3) v. 45 cf. supra.

VITA.

Benno Guilelmus Badt natus sum Suersentii, in oppido Posnaniensi, a. d. XVI. Kal. Febr. anni h. s. XLIV. Patrem meum dilectissimum Abraham Isaac literatorem ante hos annos octo, matrem Bertham, e gente Elkan, ante hos tres annos morte praematura mihi ereptos lugubri pectore desidero, quibus mortuis cum fratres mei duo et tres sorores in Americam emigraverint, ego solus remansi in patria vitam degens misram tanquam hominis in patria exulantis. Fidem profiteor veterem. Primis literarum elementis in schola patria imbutus sum, unde, a magistro meo dilectissimo, amico patrio Hoffstaedt, qui me puerum egenum benigne in domum suam exceperat ac fere filii loco habuit nec usque ad hunc diem summa in me conferre beneficia destitit, literarum veterum cognitione aliqua instructus, anno h. s. LVIII. Posnaniam me contuli, ubi in inferiorem ordinis tertii classem gymnasii regii Friderico-Guilelmini, quod tum illic auspiciis v. ill. Marquardtii florebat, receptus sum. Praeterlapsis annis duobus et dimidio seminarium nostrum judaico-theologicum, quod a v. ill. Frankel regitur, adii. Gratiam habeo viris doctissimis, quibus ibi magistris usus sum, *Frankel, Bernays, Graetz, Joël, Zuckermann.* Cuius seminarii sodalibus etiamnunc adnumeror. Intra hoc temporis spatium, extraneus testimonium maturitatis a v. ill. Fickert, gymnasii Elisabetani rectore, nactus anno h. s. LXIV adscriptusque civium nostrorum academicorum numero, operam navavi literis veteribus. Disserentes audivi professores illustrissi-

mos *Behnsch, Bernays, Braniss, Elvenich, Haase, Hertz, Luebbert, Roepell, Rossbach, Suckow:* per quinque semestria regii philol. proseminarii, quod florebat primum Hertzii Luebertii tum solius Hertzii auspiciis, fui sodalis ordinarius. Cum omnes professores spectatissimos, quorum scholis interesse mihi contigit, tum virum liberalissimum Hertzium qui etiam privatus beneficia in me contulit maxima meque, quantum potuit, adiuvit, qua par est gratia semper colam atque persequar.

THESES.

1) Sibyllam ex veterum opinione in Sicilia non fuisse falso Nipperdey ad Tac. ann. 6, 12 adnotare mihi videtur.

2) Traditam lectionem versus Aiacis Sophoclei 208:

τι δ'ἐνήλλακται τῆς ἡμερίας
νὺξ ἥδε βάρος;

etsi a Lobeckio et Hermanno non recte explicatam, immemerito tamen a viris doctis pro corrupta haberi censeo.

3) Gell. NA. 13, 12 pro „ego IIIvirum vocatus" legendum esse: „ego XXvirum vocatus."

4) Aeque ac Graecum pronomen ἄλλο vocem hebraicam אחר abundanter atque absolute poni posse, ubi iam ipsis substantivis oppositio satis expressa est. (cf. Genes. 22, 13 cum Plat. Gorg. 473).

5) Recte mihi videntur philosophi nonnulli docere, etiam ad intuitionem formandam intellectu opus esse.

6) Lamprum, artis musicae ut melioris notae magistrum a Platone (Menex. 236) collandari, non tanquam sit inferioris, commemorari, contra Lessingium (de vita Sophocl.) et Haasium (in scholis de vita Soph.) contendo.

7) Julianum Apostatam non admodum liberum fuisse a culpa subitae mortis Constantii.

8) Iniuste eundem magistros christianos a scholis publicis removisse.